O MUNDO DO LIVRO

RB186,089

Presented to the

LIBRARY *of the*

UNIVERSITY OF TORONTO

by

Professor

Ralph G. Stanton

POEMA EPICUM
DE
CONCEPTIONE
B. MARIÆ.

POEMA EPICUM

in

CONCEPTIONE

B. MARIÆ.

POEMA EPICUM
DE
CONCEPTIONE
B. MARIÆ
SANCTISSIMO DOMINO
BENEDICTO XIV.
Eccleſiæ Dei Pontifici Maximo
LITERARUM NUMINI OPTIMO
Offert

D. EMMANUEL OLIVIUS
FERRERIUS
Portopolitanus Presbiter
Doctor Conimbricenſis
Rector Oliv-Azemeenſis.

CONIMBRICÆ: Ex Præl. Ant. Simonii Fer.
Pontificiæ Regiæque Univerſitatis Typog.
Anno Domini MDCCXLIX. *Superiorum permiſſu.*

DOCTOR COMMUNICATUS

PER

EMANUELEM ONTIVEROS

CUM

ILLERARUM NOMINE OPTIMO

ET

BENEDICTO XIV.

SANCTISSIMO DOMINO

B. MARIAE

DE

CONCEPTIONE

SANCTISSIME DOMINE.

SUMME virûm, florensquè Petri ſucceſſor, ab alto
Chriſtiadûm Imperii qui capis axe decus.
Qui cœlum, terramquè tuis ſub clavibus, orbem
Qui regis, & ſtygium conteris Urbe locum.
Accipe, an Herculeos, animoſâ è febre labores:
Vota nè, Pœoniâ non reſecanda manu?
Nazarei floris primordia celſa recordor:
Virginis, & Mater quæ fuit, alta cano.
Materiam non vincit opus: tamen, Arbiter alti,
Fac ut Apelleâ ſplendeat arte metrum.
Qui ſcio, quàm docilis, facilisquè in ſacra Mariæ
Totus eas; ſacram quæro puſillus opem.
Conceptam primus metro ſine labe Mariam
Offero: pictura eſt, lumina quærit epos.
Maxime, jure potes, Benedicte, effundere lucem:
Illucebit epos, ſi benedicis opus.

EX-

EXCELLENTISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
DOMINO
D. JOSEPHO
MARIA FONSECA EVORA,
Prælato Domeſtico Aſſiſtenti Solio Pontificio,
Ex-Miniſtro Generali Seraphico,
Epiſcopo Portucalenſi &c.

Dr. EMMANUEL OLIVIUS FERRERIUS.

XPEDIT quamprimùm à Divis ſuſtineri ſublimia etiam heroum monumenta, nè humanâ fragilitate ruant. Quæ humana ſunt enim, niſi manu Cœlitum ſtent, frequenter advolant ruinæ. Divis, Cœlitibusquè, Excellentiſſime Domine, ſis perquàm proximior, nefas, ullâ ad id ſuadendum ſatis orbi, probatione uti ſemper exiſtimavi. Refers Cœleſtem nomenclaturam, vim nomine divinam, ſuperiorem humanis teſſeram. Ideò excelſiora omnia facinora, quæquæ etymo connivent, proſequeris, & exequeris. Stabilimenti præcipuè, quibus opus eſt, devoves anſam, & impertiris. Neſcis planè quemquem viæ ignarum derelinquere, neſcis pondere oppreſſum conterere: ſed rectâ ſemitâ dirigere, ſed ad altum

tum extollere totus inniteris. A' Divis opem ferre, à Cœlitibus manum porrigere rogantibus didicisti. Idcircò his Te valdè proximiorem nemo dedignatur experientiâ addiscere. Taceo singula, quibus notus es orbi, virtutum momenta; quia innumera, quia relevantia, quia Seraphica. Recordari sufficit ad venerationem. Cum Præsule me, an Seraphino loqui decertent alii. Utrumque ego titulum in JOSEPHO invenio. Tuâ quidem maximâ, sicuti olim expertus fui, benevolentiâ obstrictus, ut securus evadam, non Icaro similis, at Dædaleo nisu firmus, amplitudini præcelsæ Prælati Nobilissimi jam modo accedo. Satis mihi, atque satis confidentiæ, si, Vir Excellentissime, justis meis ausis Fautorem Te assequor. Per manus igitur excellentissimas tanti Patroni, quàm pientissimi, ac Superûm prosapiâ sati, æquum visum est mihi, Poema de Conceptione ad sublimius Olimpo, Vaticanum deferri. Postulat opus parvum penè divinum columen, ut Monti inaccesso, omnium, quas cernere datum est, rerum maximo, Benedicto inquam in terris Numini, ad benedictionẽ, veniamquè, siqua erit, impetrandam firmitèr adhæreat. Benedicti assensum votum hoc exigit, & manum adjutricem. Manus tuæ sunt JOSEPHI. Nunquas felicioris Nuntii queo reperire? Certè hæ, ad quas confugio, palmæ sunt mihi de Cœlo allatæ, & præventam operi annuntiant felicitatem. Unus Caput orbis Christiani Benedictus totiès odoratus nominis tui incrementum, benemeritum de Conceptione B. MARIÆ animum tuum perpensè indiès admirabitur. Cœlico quidèm instinctu cecini: oportet, jam ad metam Seraphico pervolem incitamento.

LICENÇAS.

Do Santo Officio.

O M. R. P. M. D. Fr. Jozé da Coſta, Qualificador do Santo Officio veja eſtes Poemas, e informe com o ſeu parecer. Coimbra em Meza de Outubro 8. de 1748. *Pitta.* *Garrido.*

ILLUSTRISSIME DOMINE.

POema hoc Epicum à R. admodùm Patre, ac Doctore Emmanuele de Oliveira Ferreira, Portucalenſi Presbytero concinnè modulatum, judicioque meo Dominationis veſtræ decreto commiſſum, tùm Orthodoxæ Fidei, tùm bonorum morum in omnibus conſonat probitati: quamobrem Muſárum cultoribus illud exponendum cenſeo ad intaminatæ Virginis gloriam, ſui Authoris laudem, carminis normam, ac Poetices ornamentum. Conimbricæ in Regali Melliflui Doctoris Collegio. 21. Junii 1749.

Fr. Joſephus da Coſta,
In Sacra Theologia Doctor, Sancti Officii Cenſor,
Domnus Abbas, ac Rector.

O M. R. P. M. Fr. Franciſco Xavier de Tapia, Qualificador do Santo Officio veja eſtes Poemas, e informe com o ſeu parecer. Coimbra em Meza de Junho 25. de 1749. *Pitta.* *Garrido.*

ILLUSTRISSIME DOMINE.

LEgi carmina in obſequium Conceptionis B. Virginis à R. P. D. Emmanuele de Oliveira Ferreira ingenioſiſſimè modulata, & nihil inveni contrarium Orthodoxæ Fidei, bonisvè moribus diſſonum; imò volumen hoc maximâ cõmendatione, & laude dignum, digniſſimum ut prælo mandetur cenſeo. Conimbricæ in Regali Collegio Angelici Doctoris. Die 1. Julii 1749.

Fr. Franciſcus Xaverius de Tapia,
In Sacra Theologia Præſentatus, Sancti Officii Cenſor, & Lector Primarius.

POde-ſe imprimir, e naõ correrá ſem nova licença, para o que torne conferido. Coimbra em Meza de Julho 1. de 1749. *Pitta.* *Garrido.*

Do Ordinario.

POde-ſe imprimir, e naõ correrá ſem nova licença. Coimbra em 4. de Julho de 1749.

Dr. Sylva.

COhæret ſuo originali. Conimbricæ in Regali Mellifluí Doctoris Collegio 16. Julii 1749.

Fr. Joſephus da Coſta.

POde correr. Coimbra em Meza de 18. de Julho de 1749. *Paes.* *Garrido.* *Pitta.*

POde correr, viſto eſtar confórme com o original. Coimbra, e de Julho 19. de 1749. *Teixeyra.*

IN LAUDEM TANTI VIRI.

Teſtimonia

DE OLIVIO,

ET EJUS SCRIPTIS,

A viris illuſtribus ex voto prolatis, ac in laudem congeſtis per germanum fratrem J. O. F.

ANCTISSIMUS BENEDICTUS XIV. etiamnùm regnans, Emmanuelem de Oliveira Ferreira inſtituit ſuum, Sanctæquè Sedis Apoſtolicæ Protonotarium. Ex Brevi honorifico, anno primo ſui Pontificatûs.

Eminentiſſ. Dn. Nonius da Cunha, S.R.E. Preſbiter Cardinalis, in Regno Portugalliæ Inquiſitor Generalis, eundem creavit Commiſſarium S. Officii. Ex Proviſione anni 1744.

Reverendiſſ. Illuſtriſſ. Dn. Fr. Emmanuel de Matre Dei, Miſſionarius Varatojenſis, Epiſcopus Nankinenſis Sacerdotem inunxit. Ex literis Ordinationis, anno 1736.

Excellentiſſ. Dn. Fr. Joſephus Maria Fonſeca Evora, Epiſcopus Portucalenſis, octodecim Oppoſitores inter Synodali in concurſu magis dignum judicavit in Rectorem Eccleſiæ S. Michaelis Oliv-Azemeenſis vacantis. Ex atteſtationibus remiſſis, anno 1741.

Excellentiſſ. Reverendiſſ. Dn. Michael de Annuntiatione, Epiſcopus Comes Conimbricenſis, per Oliv-Azemeenſem Parochiam, ab extremo ſuæ diœceſeos viam arripuit, inſolito Prædeceſſorum ſuorum itinere, anno 1747 progreſſus, Olivium viſitavit, quem doctum ter, quaterquè appellitabat.

Excellentiſſ. Reverendiſſ. Dn. Didacus Marques Mourato, Epiſcopus Mirandenſis, pridèm in Sede Portucalenſi Gubernator, ephebum ſapientem vocabat.

Excellentiſſ. Reverendiſſ. Dn. Ignatius de S. Thereſia, olim Archiepiſco-

piſcopus Goanus, Epiſcopus Algarbienſis, laudat ingenium promptiſſimum in Epiſtola anno 1742. ad eundem miſſâ.

Excellentiſſ. Reverendiſſ. Dn. Fr. Antonius de Caſtro, Epiſcopus Malacenſis, bibliothecam univerſalem ſolebat, cùm de amico verba faceret, nominare.

Illuſtriſſim. Dn. Franciſcus de Almeida, è S. Patriarchalis Baſilicæ Principalibus, eruditum literis, à ſe per opera ſublimia prius notum, quàm viſum indigitat, in Epiſtola ad Olivium, quâ ſibi ſchema Dominicale remittat, adprecatur.

Illuſtriſſ. Dn. Dominicus de Portugal, S. Patriarchalis Baſilicæ Magnus Dominus, ad omnia munia ter maximus, florentis ætatis deliciæ, tam Conimbricæ, quàm Ulyſſipone, & apud magni nominis viros encomia Oliviana intermiſcet, ſcriptisquè Epiſtolis de more ſuo benevolentiſſimo exaggerat.

Illuſtriſſ. Emmanuel Moreira de Souſa, S. Patriarchalis Baſilicæ Magnus Dominus, Anacephalæoſim Olivii multis effert ab Auguſtiſſimo Domino Joanne V. in ſua regali Bibliothecâ inter opera Illuſtriſſimi Roderici à Cunha de Epiſcopis Protuenſibus, tamquàm appendicem, manu propriâ collocatam die quartâ Decembris anni 1743. In Epiſtola ad San-Pelagium Promotorem Diœceſis Protuenſis.

Illuſtriſſ. Dn. Fr. Leo Ebarch Epiſcopus Hierapoleos, ad Chriſtianos Angliæ Miſſionarius, græco epigrammate laudavit amiciſſimum.

Illuſtriſſ. Dn. Emmanuel Caetanus de Souſa, Theatinus, Commiſſarius Generalis Bullæ Cruciatæ, multâ eruditione authorem nuncupavit in approbatione Artis Rhetoricæ ejuſdem.

Reverendiſſ. Fr. Joannes Bermejo, Miniſter Generalis Ordinis S. Franciſci, in Capitulo Generali Valliſoletano deſideratiſſimè confirmavit primum Chronographum Generalem Tertii Ordinis Seraphici, nè alii, ut dixit, gloriam indè eventuram prodigeret, & quantùm par erat, laudabilem ſcriptorem ſuo ſigillo proſequeretur. Ex Patente, anno 1740. ubi multa in laudes Olivii.

Reverendiſſ. Joannes Guedes Coutinho, Inquiſitor Ulyſſiponenſis, & Vicarius Capitularis Sede Protucalenſi vacante, tantam de eo opinionem habuit, ut literas illi teſtimoniales ad Clementem Papam XII. pro legendis libris prohibitis ſine exemplo dari juſſerit, ubi: Emmanuel de Oliveira Ferreira, Philoſophus, Theologus, necnon Prædicator, ac Confeſſarius ab initio Sacerdotii, in Sacris Canonibus formatus, in poeſi ſacrâ, & profanâ verſatus, tùm multorum librorum author, moribus integerrimus, vitâ inculpabilis: quæ nobis conſtant authenticis documentis. Ex teſtimoniali, anno 1738.

Reve

Reverendiſſ. Fr. Michael da Guerra Baratta, in Univerſitate Conimbricenſi Primarius Sacrorum Canonum Magiſter, Oratorem Sapientiſſimum dixit, & latinâ oratione, gradum Doctoris conferens, multifariàm commendavit, anno 1746.

R.P.M.Fr. Joſephus de S. Hieronimo, Monachus Hieronimianus, Doctor Theologus, Scriptorem, Salomonis veniâ, de omni re diſſerentem per hujuſmèt opera ſcripta comprobavit, in oratione Doctoratûs Coram Univerſitate recitatâ.

R.P.M.Fr. Caetanus de S. Joſepho, Eremita Auguſtinienſis, Doctor Theologus, Phœnicem literarum, rarum prodigium deſignavit, in oratione Doctoratûs recitatâ.

Emmanuel de S.Thereſa Ortigaõ,Doctor Medicus, Archiatri Regii filius, orationem etiàm recitandam exarârat, de Olivii meritis, titulisquè elegantiſſimè diſſerens.

R. P. Didacus Barboſa Machado, Abbas de Sever, Academicus Regius, Seraphinum de Ordine Seraphico ſcribentem denominat in Epiſtola ad eundem: & multis aliis titulis exornat in ſua mirâ Bibliotheca Luſitana *tom.* 3. *lit. M.*

Amator Antonius de Souſa, Doctor Conimbricenſis, Senator Portuenſis, in ſuis Commentariis Juridicis appellat virum in divinis, profanisquè rebus eruditiſſimum, Poetam ſingulariſſimum, non modò pangentem carmina, ſed loquentem.

R. P. Emmanuel de S. Thereſa & Souſa, Franciſcanus, Academicus Vimaranenſis, in ſuæ Luſiphæneidos cantu ultimo inter heroes Luſitanos collocavit Olivium, *ubi octava* 36.

Vem o famoſo Olivio taõ fecundo
Na Proſa, ſe no verſo ſem ſegundo.

Emmanuel Pereira da Sylva Caldas, Eques Militiæ Chriſti, Doctor Conimbricenſis,& Collegii D.Pauli Collega,Academicus Regius, olim variâ poeſi in amici laudes exarſit, Sebaſteidem vocans divinam, & authorem laureatum Olivâ, in Epigrammate, *ubi.*

Cedite laurus:
Floret enim tantùm noſter Oliva modò.

R.P.Patritius Barnevval Societatis JESU, Hibernus, Didaſcalus linguæ latinæ,& Græcæ in regali Artiũ Collegio Conimbricenſi, Olivium ſtudioſiſſimum fœcundiſſimo ſuo Raunaldo Jeſuitæ librorum multorum parenti comparavit, & aliquandò jam græcè, jam latinè collaudavit, præcipuè in bibliothecâ volumina verſantem inſperatò conſpiciens, in hoc, quod tùm dedit, *Xenio.*

Heluo librorum cùm ſis, doctiſſime Vatum:
Nil mirum, innumeros det tua muſa libros.

R.

R. P. M. Fr. Emmanuel de S. Hieronimo, Monachus Coſtenſis, & Lector Philoſophiæ, Doctor Theologus anagrammate laudavit Olivium, uti ſolem literarum, & Epigrammate, *ubi.*

Sol mentis acumine, Olivi:
Aurea lingua tibi eſt, aureum & ingenium.

R. P. M. Fr. Franciſcus de Mello, ex Ordine Prædicatorum, Lector Theologiæ Moralis, Conſultor Bullæ, in ſuâ Tiara Urſina, ſeu Vita Benedicti XIII. Olivium noſtrum miris encomiis extulit, ex ejuſdem Sebaſteide ſententias repetens, & epitheta Cycni Duriani, Poetæ latini, Virgilii Portuenſis, Magni Olivii altè, & ſæpiùs intonans.

R. P. M. Fr. Stephanus de S. Angelo, Ex-Provincialis Carmelita, & Magiſter jubilatus aliquot Epigrammata Olivii inſeruit ſub anonymi nomenclaturâ doctiſſimi in ſuo Viridario Carmelitano tom. 2.

R. P. M. Joſephus dos Sanctos, Præpoſitus Congregationis Oratorii Portucalenſis, Theologiæ Lector Primarius, Qualificator S. Officii vocat Olivium fidelem Domini ſervum quinquè talenta habentem, & opus ejuſdem eloquens, acutum, ſpeculativum, morale, & myſticum, in approbatione Compendii Generalis Tertii Ordinis Seraphici factâ ex mandato Dominorum Inquiſitorum ann. 1749.

R. P. M. Fr. Henricus dos Serafins, Monachus Hieronimianus, Doctor Conimbricenſis vaſtam eruditionem, & latiſſimam ſphæram ſtudiorum Olivii ſatis demonſtrat in approbatione ejuſdem Compendii Generalis, eorundem juſſu factâ.

R. P. M. Joſephus de S. Martha Henriques, Canonicus S. Joannis Evangeliſtæ, Doctor Eborenſis, ad Majeſtatem Regiam inquit in approbatione ejuſdem Compendii: Os præli buccinet gloriam æternam, quam habere Urbem Portucalenſem obſervo, cùm filium ſuum jactet Olivium, qui virtutibus, & literis Patriam illuſtrat, condecoratquè.

R. P. M. Fr. Joannes Talamanco, Hiſpanus Hiſtoriographus ſuæ Religionis B. M. de Mercede, divinum Poetam, heroem Deiparæ benemeritiſſimum, ſæculi hujus miraculum dixit Olivium, in approbatione Paramithici Encomiaſtici apud Matritum impreſſi ann. 1749.

R. P. M. Fr. Ludovicus de Carmelo, Diſcalceatus Carmelita, Lector Primarius Theologiæ in Collegio S. Joſephi Collimbrienſis acroſtichis ingenium ſublime decantavit.

Emmanuel Joſeph de Faria, Judex Foraneus, & Miniſter Regius multa cecinit in laudes Olivii, præſertim ad effigiem cum libro depictam, *ubi.*

Si vis ingenium noſcere, pande librum.

Emmanuel de Almeida, Magiſter Grammaticæ, Araucenſis, anagrammatibus luſit ſuper tanti viri nomine enucleando. Sed quæ, & quàm plura

plura omitti par eſt, nè faſtidio ſint hæc invidis, æmulisquè.

Franciſcus Gomes Camoës edidit publicum in Univerſitate Conimbricenſi teſtimonium anno 1746. ubi Doctorem egregium, eximium, excellentem, ætate puerum, mente ſenem, verè ſapientem, decem magnorum voluminum MS. pro omnigenâ ſcientiâ Authorem, ſæculis maximum deprædicat. Ad calcemquè opera Olivii impreſſa, atquè imprimenda ſubjecit, at non omnia: audivi ego tunc temporis inſaniviſſe aliquot ſuſurrones, lecto hujuſcèmodi catalogo: nè tamen inſanire deſinant, additiorem, in gratiam fratris, in vitâ ejuſdem, quam præmeditor, tranſcribam.

Magni Ludovici Camonii Poetarum Principis, veluti prophetantis, cùm ad Regem Sebaſtianum in ſuo de Luſiadis poemate alloquitur, ſufficiat teſtimonium, quod Olivianæ Sebaſteidi commodatiſſimum eſt, *Cant. 1. octav. 15.*

E em quanto eu eſtes canto, e a vos naõ poſſo,
Sublime Rei, que naõ me atrevo a tanto;
Tomai as redeas vos do reino voſſo,
Dareis materia a nunca ouvido canto.

Ego etiam, omnium minimus, hoc fraternum epos de Conceptione B. M. diebus quindecim non ſine admiratione univerſali abſolutum, & quod maius eſt, à febricitante fratre pro devotione exaratum, quâ poſſum tenuitate, perſono, venerorquè in hoc tetraſticho.

Macte vir ingenio, càneris qui magnus, Olivi:
Corpore qui vel apes, mente vidêre gigas.
Non opus humanum hoc, cunctos quî excedis oeſtro
Vates: divinum, extempore quippè canis.

Nec inficias ibis, qui hæc legis, & fratrem amas: etſi odio habeas, ex invidiâ planè; amabis interdum, judicio cùm utêris. Opus hoc B. Mariæ eſt honori, obſequioquè, uti cenſores Sapientiſſimi deprædicant. Poeta, primus de Conceptione alta latio poemate, atquè ſublimia tonans, impulſu inſito à Virgine Dei Matre ad deſideratum opus revocatur. Promiſerat enim frater olim poema, ſed à Viro Apoſtolico factus immunis deſtiterat. Ergò nactus paulopòſt febrem pleuriticam, ipſe tantùm memor cœlituum, Marianam Conceptionem veluti jugi per ſeptiduum choro decantantium, ad ſeptimum diem deploratus, ſub noctem inſperatò ſomnum cepit, & miro ſomnio (ni miraculo) ſociatam à D. Bernardo Deiparam, flexo poplite amplecti ſe ſenſit. Refectus tum Sacramento Euchariſtiæ in gratiarũ actionẽ per Reverendiſſimum Fr. Guilielmum de Vaſconcellos, primùm Abbatem Generalem Congregationis S. Bernardi in hoc regno, repentè ſanitati reſtituitur, & in elogia Mariæ Sanctiſſimæ exundanti proin

en-

enthusiasmo rapitur, ita ut tria millia ferè carminum, lecto decumbens effuderit. Sub titulis de Carmelo, atquè de Mercede cætera: isthæc tandèm pro coronide intra sabbata tria (à die nimirum quartò ad octavum decimum Maii millesimi septingentesimi quadragesimi octavi) Conceptioni vota peregit. Monumentum hoc est Oliviano nomini, omni dignissimum perennitate.

Pro his veris mordeant frustrà me etiam, qui nihil faciunt, & quos nihili facio, uti Olivius ipse ait in suâ, *Ad minima in Rectorali ministerio per aliquot Syncophantas attentata, Defensione*, vilissimi blaterones; quia vir clarissimus nemo inimico caret. Suppetit cum Olivio ipso dicere pro suâ maiori laude.

Hæc satis ægroto. Jessæâ è stirpe renata
Musa potens, satis hæc votis præ pondere cassis:
Jamquè relaxatis: subito revivisce re pulsu
Mactè coegisti; tua enim miracula, præstò
Scripsi Castalidum dictata episodia nutu.
Non plus, non. Terquinque dies in carmine sumpsi.

Lib. 2. vers. 974.

Josephus de Oliveira Ferreira.

R^mo. D. D. Emmanueli de Oliveira Ferreira,

Qui febricitans citò erupit in Deiparæ sine labe Conceptæ carmen, erga ipsam heroicum amoris monumentum.

Compulit in carmen purâ de Virgine Vatem
Æstus Apollineus, flammaque digna Deo.
Est Tecum Deus, Emmanuel; agitante calescis
Illo: sacrum æstrum febris, amorque fuit.

Pangebat MICHAEL ALOYSIUS TEIXEYRA A' CUNHA, Gradûs Doctoralis Candidatus.

In laudem Dignissimi Authoris, & operis elegantissimi, 15. diebus cœlitùs compositi, alludendo ad decimũ quintum numerum soni in Musica perfectissimi.

EPIGRAMMA.

Dum corpus jacet, erigitur mens: Ecstasis alma
Magnum hoc eccè dies quinque ter edit opus.
Non secùs, ac Phthongo æqua duplex gratissima perstat
Harmónia; haud alios expetit illa sonos.

Canebat MATTHÆUS COSTIUS PEREIRA DE ABREU, Baccalaureus formatus, & in Cathedrali Conimbricẽsi Chorodidascalus.

D. EM-

DOCTORIS EMMANUELIS OLIVII FERRERII Portopolitani DE CONCEPTIONE B. MARIÆ

LIBER I.

SOLUS ab æterno, felici mente beatus,
Innocuam, luciquè parem convivere Matrem,
Irrorare omnem cœleſtia nubila terram
Decrevit *ratione Tonans*, ab *amore* profundus,
Et pius, omnipotens, & amans, ſervator & orbis.
Plectrum Muſa dabis, vocem mihi cedet Apollo:
Cede animum, divinum opus incipio, unica Phœbi
Filia: conceptum minimâ ſine labe per orbem,

Calliope, expediam numeris resonantibus altum.
De te totus agam, tua sunt encomia, Virgo:
A puero optatis carui: quo nescio vinclo,
Hoc epos obtuleram: forsan quia & arte præirem,
Munerequè? An petii vitam? Sum scilicet anceps.
Post tenebras lucem spero: manifesta repentè
Advenit: excipio lumen, non disputo causas.
Da Deus altiloquas, liceat jam pandere, voces:
Thura dabo, sacra vota feram, *mysteria primus*
Tanta canam. Quis sim, parvis maiora revelas,
Attentare nequi; cùm vis Deus inclyte laudes,
Oraquè lactantûm, linguas facis esse disertas.
Tempus erat placito. Fugiebant impia mundi
Secula: non bellum, spirabant singula pacem:
Omnia dispositò monstrabant ordine finem.
Actutùm Divæ summum fecêre tribunal
Personæ. Deus unus adest, & trinus: ab uno
Intima, de trino monumenta externa resultant:
Cujus inexhausto dependent omnia nutu,
Quo sine nec folium, nec parva movetur arista.
Hæc secùm: Æternâ decrevimus arte secundam
E' nobis iterùm Personam in tempore nasci:
Ex magno erga homines vinclo, virtutis amore,
Omnium ut absumat sordes, atque acta parentum
Abluat, in cœlumquè trahat genus omne benignus.
Mater item decreta fuit, quæ lege puella,
Pura Deum illiceret, natumquè patremquè videret.
Nec mora. Principium, volumus, confulgeat altum.

Tan-

Tanto operi : clauſtro inſiliat, cui gratia noſtris
Plena oculis, cui cunctæ aderunt ſine limite dotes,
Innumeramquè animus gazam dotatus inibit :
Donaquè cœlicolûm, & quæ nòn mortalibus inſunt,
Concepta accipiat. Lucebunt omnia in unâ
Evæ diſſimili : diverſis utraquè geſtis ;
Perdidit illa diem, inveniet non altera noctem.
Noſtrorum votorûm animam, memorabile noſtri
Prodigium nutûs, portentaquè rara, creemus.
Peccati labes aberit : ſine crimine prima.
Concipietur ovans culpæ peccantis Adami.
Magnificum faciemus opus, quacumquè politum,
Perfectum ſummè, clarum nimis, undiquè pulchrum.
Solaquè terrigenûm non ebibet atra venena,
Quæ reliqui potare ſolent : reſtauret olympus,
Quas conculcatâ deflevit origine gentes.
Diffugiat mortis legem, non contrahat ævi
Opprobrium : ſub lege aliâ per clauſtra pudoris
Diſcurret, felix exordia pura tenebit :
Semina ſerpentis non hìc coaleſcere poſſunt.
Sit nobis ſimilis, viviſſima mentis imago
Divinæ, placiti noſtri quoquè complementum.
Fas erat, ut bonitas immenſi numinis intret
Clarâ animam, mentem nitidâ, maculiſquè carentem.
Juſtitiæ laus æqua petit, nos maius adire,
Et melius ; nobis opus hoc, nam cætera mundo.
Efficiemus enim, qui poſſumus. Urget amoris
Linea. Docturum vivâ ſub lege parentes

Semper honorari Verbum, ſic Matris honoret
Scrinia : ubi ſuetos ſpatiabitur incola menſes.
Primæ labis erit, decreto inſtante, Redemptor :
Et Matrem redimet, primam fortaſſe, Creator ;
Ne dicat ſtygius, nequiit Deus omnia, dæmon,
Cujus inane caput victrix pede conteret ipſa.
Patrem habet in cœlis adeòquè per omnia purum,
Terris Matrem habeat ſic puram, ut & omnia vincat :
Qui Patrem vocitat, qualem pro Matre vocabit
Divinum Verbum ? Sordes, quas auferet, horret.
Jus, ſi Mater, habet : ſi ſponſa, ſi amica, columba :
Quòd ſine felle oriens, quòd libera, criminis expers,
Immunis fiat, Verbum condigna mereri.
Abſolvemus opus, totâ palpabile dextrâ,
(Hactenùs obtutu in noſtro dant ſingula nævum,
Nec cœli perſtant noſtro præ numine puri)
Gloria quo maneat relevantior undiquè noſtra,
Cœlo plauſibilis, terræ mirabilis arrha.
Hæc ità. Diſpoſuitquè Trias, Archangelus acta
Portet ad electos divinâ ſorte parentes.
Tum cœlum æterni decreti compede clauſum,
Pandit ſe : patuêre orbi tot lumina. Ab alto
Nuntius en velox terras deſcendit ad imas :
Ac minimam Judæ perviſit in urbibus urbem.
Civibus à paucis eſt hæc habitata, Naſáreth
Nomine, ſed magni præſaga : palatia Trini
Quippè futura Dei ſacrum prænuntiat omen.
Abſquè roſam ſpinis naſci hîc de ſentibus, albam

Sorte

Sorte roſam, decreta fides. Jerichúntina planta
Tranſplantata novos ſine pulvere venit in hortos;
Pulvis humi vilis minimè tacturus eandem.
Floridus Hebræi Alcidis locus audit ab ævo.
Hîc pietate pares, & Regum à ſanguine creti,
Sanctorum de ſtirpe viri, gravitate, pudore,
Alti opibus, patres inopum, qui legis amantes,
Mente Deum aſſiduo venerati thure timebant.
Non melior terris, non ſanctior extat utroque:
Verùm ætate ſenes, ſterilique cupidine prolis,
Definita graves tranſibant gaudia vitæ.
Continuas auxêre preces, (reſponſa negata)
Pinguibus ut donis aras: oracula ſemper
Continuêre ſuum ductantequè numine ſenſum.
Haud triſtes hilari relegebant abdita vultu,
(Quamvis effætis fuerit tum dedecus ingens,
De quibus enaſci Meſſias ipſe nequiret:
Cauſa, quòd ante ſuos opprobria multa tulerunt.)
Conformes cœlo, fiat divina voluntas,
Aiebant, in pace, Deus, vivamus ad ævum,
Cordaquè noſtra tuas videant poſt funera ſedes.
Noſquè queri exaudi, regali carmine Pſaltis: *Pſ. 70.*
In te ſumme Deus ſperavimus: amodò in ævum
Non erit illa tuis confuſio: juſtus es ipſe,
Eripe nos pœnis, aures concede faventes:
Salvator, protector ades, munitaque turris,
Firmamentum ingens, columenquè, exiſtis aſylum.
Eripe pravorum è manibus: qui ſolvis, iniquis

Libera, & in legem tu nos ab agentibus arce.
Es quoniam à tenerâ patientia noſtra juventâ,
Spes quoquè certa, utero firmatum es robur ab ipſo,
Ventrequè de matris tua jam protectio venit.
Quod loquimur, laus tota tua eſt: ridemur inultum
Prodigium. Adjutor fortis, repleatur abundè
Os noſtrum modulis: omnem cantemus ad horam,
Quàm magnus fias, quàm magna potentia cœli.
Nè nos projicias duræ ſub meſſe ſenectæ:
Neu, cùm deficiat virtus, nos morte relinquas.
Gens inimica, animas & qui pro munere noſtras
Obſervant, in nos coeunt: Deus, acritèr aiunt,
Eccè reliquit eos; non eſt, qui liberet: urnis
Dentur, atrox cruciet carcer, degantquè ſub haſtâ.
Haud procùl à nobis, ſervos jam reſpice, fias,
Præſidiumquè Deus. Tempus, rubor urgeat hoſtes.
Semper enim, dum vita juvet, ſperabimus: & te
Carmine perpetuo Dominum cantabimus: altè
Juſtitiamquè tuam, & nimiam cantare ſalutem
Eſt animus, noctuquè diequè: rudes ſumus, artequè
Inculti, tamen ad Domini properabimus arcem.
Te ſolum grati memorabimus: eccè magiſter
A' cunis tu noſter ades: tua munia plectro
Edimus. Heu! Sterilem cuſtos nè linque ſenectam,
Donec venturæ referamus grandia genti.
Quis nèDeo ſimilis? Multa infortunia paſſos
Vivificare ſtudes, miſerans & tollis abyſſo.
Magnificus Deus es, tu conſolaris amicos:

Res ideò insignes hymnorum voce fatemur,
Psallimus & cytharâ: *Sanctus Deus*. Omnia in uno
Exprimimus verbo. Dicentia labra triumphum,
Plena anima, exultent vires; nam scimus adesse
Confusos hostes, nobis qui pessima quærunt.
Impera, & annuimus, maioraque sistimus acta:
Ut petiêre, Patrum completa (oh!) vota tuorum
Percupimus: libeat nostra abbreviare salutis
Tempora; quippè dies in sæcula volvitur una.
Quandóquidem nostri Promissum cernere non sunt
Digni oculi, accelera justis bona tanta: parentum
Fœdera, si meminisse juvat, tardare videntur.
Istam, immense Deus, nunquàm oblivisce gentem:
Da Primogenitum, redimat qui crimina, mundo.
Sit festina dies, toti spectabilis orbi.
Ast ubi terra capax immensum numen habendi,
Quem cœli haud capiunt, nec ea ultrà intermina nubes!
Quæ genitix? Quæ tam felix, & digna vocari?
Quis daret, ut tantam possemus noscere Matrem!
Ancillis servire suis! Dare & oscula plantis!
Aspicere illam oculis! O' terque, quaterquè beati,
Qui tum divinæ vestigia Matris adorent!
Hæc verba electi fundebant corde vicissim:
Talis erat Joachim, conjux venerabilis Anna,
Exciti ab Angelicis in sacra jugalia visis,
Ille Nasarethes, Bethlemîtis stirpitùs ista.
Ambo decus thalami, unanimisquè exemplar amoris:
Ambo fide magnâ, mysteria tanta morati,

Spe-

Spectatumquè diu, præsentem in mente trahebant.
Obvius ante oculos, turbatus & Angelus, ipse
Alta notans, in utroque colit cæmenta vel arcæ:
E' cœlo ambobus missus, sed cuique seorsim
Maxima verba refert: Steriles salvete beati,
Qui mundo edetis claram post nubila lucem:
Vota preces vestræ de cœlo audita fuerunt,
Sed dilata Deus quatuor post lustra peregit.
Non tunc scripturæ impletæ, numerusque dierum;
Culpa hominũ permagnus obex: patresquè, prophetæquè
Optavêre diem, sed vos meruistis habere.
Probra antiqua sonant nova gaudia; sæpè refellunt,
Quæ meritos faciunt: cœli magnalia sensu
Non capiuntur eò; nam sors contraria paret.
Vos quoquè delegit patres Altissimus: aris
Non vacuam dextram referetis; copia fluxit:
Tarda, sed alta venit merces. Quod maius obitur
Munus, ab assiduis reparari vocibus ardet:
Progeniem sanctam assiduâ virtute tenetis.
Annæquè addit: *Erit tibi filia, deniquè mater*
(Fortè patri voluit qualem celare futuram)
Ipsa Dei, Domina Empyrei, Reginaquè nostra.
Fidite, sum Gabriel, solio de astantibus unus:
Vera loquor. Puncto steriles revirescere jussum.
Quùm Deus inspirat, clausæ miracula vulvæ
Affulsêre: novi stant maxima symbola partûs.
Concipies cunctis ergò fæcundior, Anna:
Raraquè succedent actu portenta sub ipso.

Ma-

Maiora auditu evenient, lætabitur orbis:
Cœlum, & terra ſemel vitam de morte videbunt.
Infanti nomen, cœlo indice, dulce MARIA.
Dixit. Flamma volans penetravit, & aſtitit aſtris.
Suſpexêre domum converti in fulgura patres,
Cœleſtes ardere polos: & mira tulerunt
Verba Deo, innumeras cœli pro munere grates.
Ut manet hoſpes, agrum duro quum ſcindit aratro,
Et ſulco lapidem aſpectat quandoquè nitentem,
Quandoqué obſtructum pallentis imagine terræ.
Indè ſagax veri, vires ad vota reſumit,
Sulcum aperit totum, marrâquè profundat hiatum:
Ut noſcat, ſit gaza ingens, ſit ſolis an error:
Pulverequè effoſſo, bullantes invenit auri
Obryzi venas: ſtupet ad viſum, atquè merentem
Se negat, aurigeri miratur ceſpitis arcam,
Donec ſe dominum tranſacto examine credit.
Reſtituunt proprium moderantia gaudia ſenſum.
Sic Emerentiades tantis perterrita rebus,
Quæ nunquàm humanis potuerunt vocibus edi,
Fit perplexa diu; quin intima, fixa calente
Deſit corde fides. Prægrandia munia fortem
Exuperare animam quibant, ni ſpiritus intùs
Addiderit robur, præcordiaquè arcta levaret.
Dant lethum exceſſus, ingentibus illicò cauſis
Deficiunt animi: corpus non enthea ſuffert.
Dedecet exemplum. Plures monumenta fatentur
Efflaviſſe animam nimiis cum plauſibus hauſtam.

Intereà ingenium ſacris diſcurſibus aptum
Barpantheriadæ, juſto defervuit æſtro.
Invenit extaticus præſagia mira puellæ,
Ceu David internâ correptus luce profatur:
Diva nè perſpicio cunabula? Surgere fœtu
Spiritus ille nequit, recidivaquè ſidera naſci?
Speronè Pandoræ cœleſtia brachia cunas?
Quos pertingo choros, & quas exaudio voces!
Fallarnè? Innumerâ nympharum adſtante phalange,
Semideûmque, noto radiis maioribus unam,
Candidiorem aliis, ceu natam lucibus, almæ
In ſpeculum lucis, ſuperoſquè, homineſquè trahentem,
Ad ſua vota Deum: inceſſu Regina ſuprema,
Omnes innato miſerata favore juvabit,
E' caveis erebi multorum facta redemptrix.
Næ meditor populis maiorem Eſthêre: vel uno
Sola gradu inferius ſolium Salomonis habebit.
Tot circùm excubias armatis auſpicor alis,
Numen ut in terris cultum virtute recorder.
Regis an obtutus? Regalia pegmata cerno;
Principis ortus erit, qualis ſupereminet aſtris.
Spe maior, radians divinas hauriet auras:
Ut Sol, qui fugiente chao ſalit igneus omnis;
Ut flos concluſo natus ſine ſentibus horto;
Ut fons dulcis aquis, dextrâ ſignatus avitâ;
Ut liber inſignis, ſeptem clauſuſque ſigillis;
Ut nix uſquè tenax primi candoris: Iudæ
Virga vel enodis, translataquè ſceptra tenebit.

Quid

Quid cano? Cœlum adeo; nec mens confingit honores,
Dat maiora fide tantæ natura puellæ.
Tantanè? Terrigenûm feret excellentior agmen.
Edunt conceptam Cœli Máriam. Inſtar ovantis
Intonuere poli, nomen ſonuere vel aſtra
Omnipotens; *bona cuncta latent in voce MARIÆ.*
Ante diem nomen? Non ſuetus inaugurat ardor
Mundatas ſine fæce vices, ſine limite ſortem,
Innumeras dotes, intermina culmina honorum.
Nomina præveniunt aliquid, felicia cùm ſint
Omina, facta volant certi prænuntia voti.
Vox ſonat humano maius. Dominamquè, Magiſtramquè,
Et mare, demonſtrat ſtellam, myrrhamquè figurat.
O' quæ magnificis titulis ſtas maior, eois
Concipienda tholis, mentis tu vincis oeſtrum:
Plena Deo Virgo, toti dominabere mundo,
Mortalesquè viam, fiant nè bruta, docebis:
Ad portum æternum per te tranſire volentes,
Stella maris, ductabis amans: quîs vita labores
Contulit, Empyrei tornabis myrrhina vaſa.
Tecùm tuta quies, nemo trepidabit ab orco,
Umbra tuum nomen maleſanos proteget, aura
Diriget afflictas optata per otia mentes.
Nomine quid nè tuo ſacrius? Conſurget aſylum
Sonti. Quid melius nè? Fit arx bono. An ecquid acervo
Pulchrius? Immenſam paradiſi continet artem.
Dulcius ecquid erit? Sapit omnia nectara nomen.
Ceu ſomno exurgit, mundus cùm conditur, Adam,

Quo rerum cauſas, quo vel ſublimia novit:
Novit et Eliachim myſteria digna relatu.
Annæquè: Una caro, (ſic talia conjuge digna
Senſa dedit) facimus communia jubila. Divam
Conceptura vige; talem miracula dicent.
Vera Dei veri ſola hæc Pandora manebit.
Conjugibus primas rapimus: marceſcere nunquàm
Quæ queat, exoriens affulget gloria nobis.
Felix ariditas ventris, felixquè ſenectus,
Qui ſic intumeat, tales quæ computet annos!
In Domino lætare tuo, qui dando redundat:
Dat ſemel, at ſatis. O' gaude Sanctiſſima Conjux,
Uxores inter gnatam quæ digna fuiſti
Edere, quæ patris ſit honor, quæ gloria matris.
Si vacet arcani depromere cordis amuſſim,
Adverte acceptas, an ſint oracula, voces.
Suſpecto auroram eniti. Quid grandius? Et ſe
Concipere, ante Deum qualis pro matre deceret.
Cunctaquè qui verbo dixit, ſilet altus, in uno.
Aurea porta viam conducit ad atria templi,
Ad quod eunt ſupero inſtinctu Joachimus, & Anna.
Hìcquè ſalutati divina negotia pandunt,
Quæquè aliis meritò celant. Sibi cætera ſordent:
Suſpiciunt aras, & habent ibi numen honori,
Incenſasquè augent diuturno lumine acerras.
Tum vox mira, choris modulantibus undiquè, ſacro
Exiit ex adyto: Sterilis quæ vulva fuiſti,
Hinc benedicta manes: in te promiſſa priorum

Ex Abrahâ completa vides. Felicior esto,
Unica temporibus celebraberis Anna futuris.
Prodigiosus ager, cui par thesaurus inhæret,
Crederis: empyreus latet unio, concha tumescis.
Tardavit, sed maior erit præroribus imber:
Vinea sicca mades, & cælica vina redundant.
Detinuit tua vota Deus, perfecta venirent
Ut bona, & immenso pluitaret gratia dono.
Anna beans paradisus ades, cui nobile lignum,
Vitæquè intactus fructus: legalis Horebi
Tu petra, quæ tardè tot flumina fudit aquarum:
Esquè rubus Mosis, quem lumen, & ignis obibant:
Es domus Obédedi, quâ condita manserat arca:
Mensaquè sacra dapum: radix ades inclyta Jessês,
Ex quâ virga micans, & flos de cortice gemmat.
Es Salomonis Ophir, nautæ quò tempore multo
Deveniunt, auriquè trahunt tot jugera puri:
Cymbaquè es à longè portans sub remige panem,
Qui confert homini æternæ compendia vitæ:
Palmaquè perpetuo fructus cum flore redonans,
Exaltata viges pretioso in monte Sionis.
Uxores inter matrona beatior extas:
Quæ steriles cantant adapertam in pignora vulvam,
Præcessere tuæ velata emblemmata sortis.
Rebecca, & Sara, Rachelis, Sunamitis, & Anna,
Quæ Samuelis erat, tua jam vestigia adorant.
Nec magis intonuit. Summisso poplite stabant,
Magnificumquè Deum repetitâ laude colebant.

Anna-

Annaquè fervidior, dicebat, humillima, secùm,
Agnoscor meritò, Matrisquè ancilla vocari
Non sum digna tuæ. Deus oblivisce servam.
Mater ego? Tot plena malis, tot & orbibus amens!
Sum nihil, auscultò jussis: tua sancta voluntas
Fiat: ad omne potis verbum, de stercore egenum
Erigis, atquè facis ditem, de pulvere tollis
Mundum hominem. E' petris Abrahæ quis semina flare.
Quid mercede dabo? Hoscè tuos en voto favores.
Gratius ecquid erit? Tua sunt gratissima facta.
Empyreo nunquàm Angelici meliora ministri
Thura dedêre throno. Sunt sacra æqualia donis;
Non quia ego dono, quia tu tua dona resumis.
Ergò abeunt læti. Ad Nasaræa mapalia sistunt.
Pauperibus, templo, atquè sibi bona parta remensi,
Sollicitâ assiduam prolis spem mente revolvunt.
Tum Deus Omnipotens altissima pandit olympi
Mentibus ignivomi. Solium sublime volabat:
Lux erat, & vivis circúmdatur ignibus: aurum
Stratum adamante micat: latus exornabat utrumquè
Sardonichum pomposus ager, mons altus achatum:
Certabant cum sole suo de lumine gemmæ:
Lataquè in immensos ibat, domus altaquè passus,
Bissenas adaperta fores: quâ convenit eurus,
Quâ boreas, zephirusquè, notusquè, habet undiquè ternas:
Custodes totidem, tribuumquè ibi nomina. Vera
Urbs domus, in quadro crystallus tota refulget:
Murus Apostolicâ decurrit arundine mensus,

Vi-

Viſuquè humano ſtadiis tot millibus exit.
Suſtentant fabricam biſſena periſtyla divam,
Fulcra peregrinis mirè gemmata lapillis.
Jaſpide ſapphirus, Calcîte Smarâgdus, ab ungue
Sardus onyx, & Sarda rubens, cum Tharſe Topaſus,
Chryſópraſo Berillus ineſt, Hyacintho Amethyſtus.
Tantæ lucis erant divina palatia. Cœlum
Implent ſpirituum tot millia, ſidera viva,
Angelici vè chori, totuſquè hierarchicus ordo.
En propè Seraphici centro volitare videntur,
Qui ſolio aſſiſtunt ſeptem, velantibus alis
Numen inacceſſum, primi candoris amantes.
Plauſtra tholi, curruſquè Dei ſapientia perflat
Inſita Cherubicis. Velut ales in arma maniplus
Sacra, Thronus, Dominatio, Regnatuſquè, Poteſtas,
Virtutes, proprio tribuuntur munere, pegma
Stant circum. Accedunt permagnis rebus Ephebi:
Aligeriquè, polo miſſi in terrena, miniſtri.
Tequè Creatorem laudat, Deus, orbis ab ortu
Innumerata cohors: poſtquàm convicerat acri,
Pro te, pro ſolioquè tuo certare paratus,
Luciferum bello Michael, ejuſquè ſequaces,
Damnatos genios. Tibi tanta potentia luxit,
Luxit tantus honos. Es lux, ac gloria caſtis:
Vitaquè ſpiritibus tua lux, quæ illuminat urbem;
Urbs nequè ſolis eget, ſibi par in lumine nulla:
Te te ubi ter Sanctum proclamant voce perenni.
Tu Deus his contentus eras, commercia ſolis

Præbens, Empyreum quatuor jam mille per annos
(Flammivomisnè ſeris?) clauſum, dum natus obiret,
Paſſusquè afferret claves Orientis, habebas.
His ergò inſolitâ myſteria luce revelat.
Et veluti aſſueſcit nubes, cùm fulmina jactat,
Tota ardere, novoquè expellere fulgura pulſu:
Haud ſecùs & Deus ipſe novus globus igneus ardet,
Mentibus attonitis radiorum ad flumina, quæquè
A' facie impetuoſa volant. Hæc intima verba
Abditiore ſinu evulſit, ſecretaquè fari
Mira throno (tota aula ſilet) Pater infit ab alto:
Numinis antiqui comites, ævoquè Dynaſtæ
A' primo, cum luce ſati, ſine corpore mentes,
Scintillæquè facis divinæ, incendia cœli,
Convivæ æterni laticis, quibus aurea menſa
Nectar, & ambroſiam tempus præbebit in omne.
Vos legit Empyrei indigenas ſors alta, beatos
Gratia, vita bonos, Sanctosquè ſcientia multa,
Munus honoratos, naturaquè tota refingit
Claros, ſubtiles, agiles, ſenſuquè carentes.
Voſquè duces hominum facti, ut nova fabrica mundi
Prodiit è nihilo, paradiſiquè additus horto,
Conſilio colubri præcepta infregit Adamus.
Vos, quibus & ſeriem cura eſt diſponere rerum,
Cardinibusquè ſuis ventos emittere, & auras,
Floresquè, & conchas imo decerpere centro:
Regnaquè, & Imperia erigere, ac delere viciſſim.
Eſt par, vos etiam maiora negotia ſcire.

Ju-

Judicia alta manent, inveſtigabile ſenſum,
Geſtaquè comprendi nequeunt, opera omnia noſtra
Infinita, hominum vincunt, veſtriquè loquelam.
Ut modò participes divina arcana ſciatis,
Ut nova cedatis, terris data jubila, cœlo
Gaudia, ſecretum vobis denuntio magnum.
Angeli ad hæc rapti creſcentibus illicèt auris,
Ceu ſpeculo in puro viderunt omnia Verbo.
Scitis enim, Proceres cœli, pro plaſmate lapſo
Paſſurum Genitum humanæ ſub tegmine carnis:
Quarè opus eſt Matris. Jam tempora, ſæcula, & anni.
Optatis Patrum obſequitur mea recta voluntas.
A ſanctis, caſtiſquè viris, ceu lampade flamma,
(Signat Idumeis quales in finibus ardor
Celſa timens, & vita probas, atquè integra virtus)
Creſcet in immenſum proles, vix gratia inundet,
Intemerata ſuo, concepta aurora, cubili.
Lunâ pulchra magis, ſolis ſplendoribus ardens,
Abſque ullâ ſpeculum maculâ, formoſaquè tota,
Primæ Evæ facinus, velut Eva ſecunda, piabit.
Addubitare nefas. Aderit nùm filia Patris
Immunda? An Verbi genitrix? An Flaminis hæres,
Sponſaquè? Amorquè Dei, domus atquè habitacula Trini?
Ad tenebras facilis non eſt conventio lucis.
Immaculata ſemel, totum præventa per ævum
Mater, ab æterno jam noſtrâ in mente nitebat.
Rerum arcana dabo, quæ nulli expandere viſum
Hactenùs. Ante chaos ſpatiis adeòquè remotis

Stabam, contentusquè innatis lucibus, unus,
Trinusquè: à bonitate datus me infundere rebus
Summâ animus suasit. Discreviquè omnia visu.
Signa tamen, morulas, instantia fingere oportet:
Omnia sola capit momento diva facultas.
Novi me innumeris ornatum dotibus, unà
Condonare aliis æquum, justumquè putavi.
Verbum habitu indutum humano, intactamqnè parentem
Mente habui. Signi istius quæ jubila? Primæ
Gaudia summa moræ: nusquam si mundus adesset,
Hæc duo, hypostatici pretiosa anademata vincli,
Maternæ bonitatis opus mirabile, quibant
Delicias augere meas. Et sola placebant.
O' quàm felices sapientia format ideas!
O' quàm pulchra salit depicta puerpera! Vultus
Deformes habitura præit? Quis talia fando
Crediderit? Quàm re, quis imagine pulchrior exit?
Zelus imago rei; similat, non prævalet icon.
Non dum notities labis, non crimen habebat
Semina; principiumquè boni, fructusquè vigebant.
Post hæc, vos etiam meditatus condere propter
Obsequium; Angelicus sequitur famulatus utrumque.
Filiolus rex vester erit, Reginaquè Mater:
Quos caput instituì naturæ utriusque supremum.
Signa abeunt. Cælum, & terram meditabar ob ipsos:
Quippè boni, factum Empyreum est, me cernere mallent:
Quippè rebellaret pars tertia dæmone victo
Venturum temnente Ducem, cocytus, & orcus,

Jux-

Juxta quem limbus, purgans quoquè, qui expiat, ignis.
Stelliferum cœlum lunâ cum ſole micante,
Terraquè reptilibus, productis germine plantis,
Æthra volatilibus, mare piſcibus, omnia ſenſim
Inſtabant propter ductas ab origine gentes.
De limo plaſmavi hominem, uxoremque reduxi,
E' quîs tota foret redeunte propagine proles.
Arbitrium cuicumque dedi; nam tota voluntas
Libera pro meritis, rerum pro lege decebat:
Legem corde tamen ſcripſi, quâ gratia vivit.
Pendeat à facto unius pia maſſa bonorum,
Turbaquè pravorum, edixi: dequè omnibus unam
Eripui, fructumque ſuum pro numinis arrhâ.
Primus homo peccavit iners, cùm poma ruenti,
(In vetitum perſona ruit, jam lege vetante,)
Complacuêre ſibi, cœpêreque tot mala. In uno
Peccavêre omnes. Etiam cecidiſſet et Annæ
Semen; nè caderet, niſi eam priùs ipſe levarem
Ingenii mirâ arte mei. Sic Mater ab alto
Præſervata fuit, nec adivit debita culpæ.
Detenti in limbo Patres ſuſpiria magna
Conglomerant: adhibere diem, Verbumquè renaſci,
Indè pati, humanoſquè ferè exantlare labores,
Cœloſquè aſcenſu reſerare, ac pandere juſtis
Eſt opus, ut roret pretioſa redemptio terris.
Prima redẽpta manu excelſâ Omnipotentis, ad auras
Prodibit, vexilla ferens per ſæcula, Mater:
Propter eam, Proceres, quæcumquè creata fuerunt;

Et per eam gratus fiam mortalibus, aulam
Agmina complebunt Sanctiſſima, mundus & omnis
Salvus erit. Tantum poterunt benefacta MARIÆ.
Hæc, quam in primævo poſſedi oriente viarũ, *Prov.*
Æterno prævisa tholo, ſit terra priuſquàm, 8.*v.*22.
Sidera, aves, ceti, flores: ante omnia victrix,
Hæc concepta aderat: nondum moderabar abyſſis,
Nondum fons ſcátebris eruperat imus; & alti 520
Necdum conſtiterant firmato pondere montes,
Parturiebat amor curarum in pace ſuarum
Delicias. Nec erant tum flumina, cardoquè mundo
Non erat: Empyrei ſtructuram quando parabam,
Hæc mecùm vigilabat amans: quum lege domabam
Æquora, vallabamquè ſinus: & quum æthera ſurſùm
Firmabam, & librâ pendebam gurgitis undas,
Et cæmenta ſoli, fundataquè rudera terræ,
Mecùm erat, ingenio componens cuncta. Diebus
Delectabar enim cunctis, & tempore in omni, 530
Orbequè terrarum ludens; ita Principe gaudens,
Ut mihi delicias hominum genus eſſe putarem.
En quæ theſauros divinæ mentis habebit:
Omnibus una dabit ſimulatquè orata redemptrix.
Innumeri pro ſorde luunt per ſæcula pœnas:
Jam ſatis. Irradiet clementia rarior axem.
Vos quoquè participes facio de parte bonorum:
Virginis in cunis, & toto tempore vitæ
Cuſtodes eritis: vos hæc nova metra docebit:
Grandiaquè objiciet generoſis præmia curis. 540

Dixit

Dixit. Et attoniti penetralia diva verentes,
Quiquè revelatis ſacris præ numine flexi,
Altaquè mirati, præſtantur ad omnia ſervi.
Horam per mediam ſpatioſa ſilentia fiunt.
Mox tetigit ſolium ſceptro Deus. Inquit: Ad Annam,
Nec mora, tendamus; tempus pervenit amatum.
Contremuêre poli, fugitivaquè lumina cœlum
Omne recluſerunt. Et Spiritus à Patre miſſus
Deſcendit, nongentûm hilari ſtipante catervâ
Cœlicolûm: primo Seraphini ex ordine centum,
Supremiquè duces, Michael, Gabrielquè præibant,
Ad collum expaſſis radiante inſignibus auro.
Et ſterilis paruum ſubitò intravêre cubile.
Intereà volvens, miris ſingultibus icta,
Stolanîtis agit ſtudio maiora ſibyllæ:
Contemplabatur diuinæ mentis aſylo
Præventos operi faſces; nam condito ab orbe
Progeniem Sacram, Patriarchas, indè Prophetas
Ad numerum (erigitur ſuper his Urbs ſancta) videbat:
Se de ſtripe Ducum, regali ſanguine natam,
A' fido annumerans gentilia Davide ſigna,
Immortale Abrahæ referens genus, inclyta ſemper
Indiderat: plenam ſcit ſe relevantibus orſis,
Suaſamquè Angelicis ſermonibus, auſpicis auctam
Promiſſis ſe ſtare Dei: ſcit, vate marito,
Nuntia miraclo concurrere proſpera tanto.
Quæ vix deſierat meditari arcana beata:
Cùm Joachimus adeſt venerandus, ad inſtar amantis,

Otia

Otia qui ſponſæ quærit, ſomnoquè ſopitur,
Quin ſit culpa thoro, inſani nec ſulphur amoris.
Floridus en lectus noſter: vide ligna domorum
Cedrina, ait ſponſæ: laquearia noſtra cupreſſus:
Arbore ſub mâlo jaceas: age, ſponſa venito;
Langueo amore tui: vinaria cella paratur;
Lætificant cor vina nimis; prudentia maior
Nos ligat, unanimes divinus copulat ardor.
Colloquiis rapti divis, hi prolis amore,
Non veneris captandæ animo, prurigine nullâ,
Carnis nec ſtimulis, mollivè cupidinis æſtu,
Non face laſcivâ, violante nec igne pudoris,
(Divinâ ductante manu, reprimentequè motus
Fomitis, illecebras jaculantequè numinis aurâ,
Ad ſenſum quæcumque valent fortaſſis oriri:)
Eccè vel hinc poterat fœtus ſine labe videri;
Amplexus ſanctos adhibent. Quos gratia jungit,
Charus amor retinet, quanto vel tempore oportet.
Imperfecta Deus disjunxit munia præſens,
Conjugio præciſa dedit, rexitquè fovendo.
O' fortunâti, quibus eſt meritorius actus,
Quo reliqui afflarunt peccati incendia patres!
Quæquè dedit ſteriles, virtus divina potentes
Reddit: naturæquè viam non effugit, almam
Efficit author enim, miracula ab ordine patrans.
Certat in hoc partu natura, & gratia dudùm,
Quò fiat natura placens, quò gratia abundans.
Suppeditat natura vices, flat gratia vires:

Gra-

Gratia ſupplet amans, quantum natura relinquit:
Gratia mundat ovans, cùm jam natura rebellat:
Gratia naturam abſorbet, quaſi pignoris obſes,
Atquè ſuis humeris opus admirabile portat.
Vix gerit officium patris Nathanicus heros,
Obſequium Sponſi ſuperaddit Spiritus almus:
Materiamquè ſacrat pro corpore Matris honeſto.
Defuit haud minimis. Quatuor mox cœlicus ignis
Temperat humores, naturæ ponderat artes,
Donaquè Virgineis dat naturalia membris.
Omnipotentis opus dextræ perpulchrius, orbes
Vincit cœleſtes, Adami exemplar, & Evæ
Præſtitit. Artificis ſunt hæc miracula tanti.
Cujus opes non lingua poteſt, nec dicere tentat;
Capſa fit innumeris Marianum corpus eburna.
Sacra dies Domino primordia fauſta notavit,
Soli etiam; tantum hoc poterat ſplendoribus aſtrum
Irradiare ſuis genitales Virginis artus:
Sol quoquè ad organicam concurrit fervidus arcem,
Innatisquè addit maiora vigoribus arma.
Aſtra ſecuta ducem, ſanis influxibus ardent,
Et Dominam expectant, à quâ nova lumina poſcant.
Haud cunctata fuit ternum vaga Cynthia curſum:
Septima lux properat, ſepteno ſole decora
Maſſa viget, toto formoſus ſemine vultus
Ebullit: decor oris adeſt ſpecioſior oſtro,
Appingente Deo: credas in corpore vitam.
Ad ſpeciem millena cohors ſuſpenſa remanſit:

Qui-

Quiquè Dei digitis sculptam mirantur opellam;
Uni collaudant crines, oculosquè, genasquè;
Hiquè manus, & colla beant, genua hiquè, pedesquè:
Thure alii incensant, alii pro cantibus astant.
Inter eos Princeps, Michael fit præco sonorus.
Quàm felix hoc corpus, ait! Præ limite parvo
Accidet, obtineat meliori luce creandam
Puram animam, insignem meritis, & numine plenam,
Quæquè Dei est genitrix, (tanta est fortuna) MARIÆ.
Nativum exemplar, genuinaquè forma decôris,
Omnis in exiguo, fugiunt membra omnia captum,
Majestatis honor, proportio congrua mira,
Candidiorquè caro similes parat artubus artus,
Nulliquè æquandos producit rara venustas.
Exuperat pelles Salomonis, & arma Cedâris;
Pulchrum etenim totum. Purum caput emicat aurum.
Suntquè gregum exuviæ Galaadi è monte capilli: *Cant.*
Aurea perspicuas murænula circuit aures, 1. *&c.*
Vermiculata ferè argento: Davidica turris
Fronsquè: columbarum, quos sol animavit, ocelli:
Nasus enim Libani specula est mirata Damascum:
Ambrosiâ malæ casti ceu turturis halant:
Labraquè coccineas vitas imitantia vincunt:
Instar mellis erit tua lingua, vibrante loquela;
Ad mel cuncta trahis, suavissima gutturis ora:
Tonsarum ut numerus dentes, abeunte lavacro:
Contextum gemmis mineralia ophiria collum:
Ubera sunt vino meliora, fragantia valdè:

Distil-

Distillantquè manus redolentis aromata myrrhæ:
Umbilicusquè tuus crater tornatilis exit:
Sapphiris sculptus, fit venter eburneus: altâ
In basę marmoreas dant gemmea crura columnas.
Quàm pulchri gressus, ò Filia Principis, extant!
Formaquè ceu Cedrus, ceu Palma statura resurgit.
Undiquè te assimila stellis, te floribus æqua.
Oh quám suavis oles! Pretiosa unguenta tulisti, 660
Ut tui in unguenti faciles curramus odorem.
Quàm breve, perficitur corpus! Quod & omnia prendit,
Divitiis opulentius est, quàm Chilis, & Indus.
Censeo mille magis donum spectabile mundis.
Juxtà equidèm donatur ei, cui subditur author.
Dixit, ad applausum currentibus undiquè binis.

FINIS LIBRI I.

DOCTORIS EMMANUELIS OLIVII FERRERII Portopolitani DE CONCEPTIONE B. MARIÆ

LIBER II.

ILLICET eois advecta aurora quadrigis
Sparserat optatam supera in primordia lucem;
Judæas nunquàm citior, præsaga futuri,
Pulchra magis rediens, splendorũ prodiga, & auspex,
Obsequiosa Dei festis, penetraverat oras
Grata, Palæstinos inviserat aurea campos,
Et Nasarethiacam Galilææ in finibus aulam,
Implens lætitiâ populos, & roribus arva.

Sab-

Sabbatum erat meritò clarum, prorsùsquè futuris
Temporibus memoranda dies, quâ Trinus ab alto
Descendit facturus opus, cantabile sæclis:
Virginis indè dies dicta est, quia fausta Mariæ.
Lux octava nitens mensis, quiquè ultimus ambit
More feri colubri sinuosis orbibus annum:
Haud melior facies mysteria tanta figurat;
Quattuor antè actis mulier terit orbibus anguem,
Antiquosquè dolos inflexo claudit in ore.
Sistitur organicum, cunctisquè vigoribus intùs,
Atquè foris, natura petit quos viva, peractum,
Vitæ, animæquè capax, & dignum lumine corpus.
Cùm Pater, & Verbum, cœlo deductus, Amori
Jungitur: & facinus magno velut ordine dignum,
Quale per immensam nullo pro tempore dextram
Transierat, vellent operari, talia secùm
Aiebant: Faciamus opus, quo gloria nostra
Emaneat, totiquè potestas fulgeat orbi
Summa. Sit assimilis nostri sublimis imago.
Ergò levant Divinæ Personæ (oracula currunt
In commune bonum) *manibus corpuscula Sanctis,*
Ne ruat in culpam, longè stant vincula labis,
Inspirantquè operi superæ spiracula vitæ.
O Cœli, ò homines, & bruta, herbæquè, petræquè.
Cuncta audire licet. Concepta puerpera, mille
Illustrata modis, infusâ desuper arte,
(*Instar apis sibi corpus erat*) jam tollit ad altum
Illa manus, claustro deflectit crura pudico.

Prima ego, ſic inquit, prodivi Altoris ab ore, *Eccl.*
Ante creaturas genita, atquè in ſæcula Mater. *24.v.5.*
Feci ego, ut æternum rutilaret lumen ad auras:
Ceu nebula obtexi totam denſiſſima terram:
Celſo habitavi adyto, nubisquè in pegmate ſedi.
Solaquè per Cœlos gyrum feci, æquor abyſſi
Tranavi, terrâquè ſteti, populumquè per omnem
Primatum obtinui, calcavi corda potentûm:
Quæſivi requiem tandèm, in Dominoquè morabor.
Omnipotens ſincere Deus, perfecte Creator,
Quiquè meo requiem tenuiſti in corpore dulcem,
Tu mihi dixiſti: Jacobi filia tectis
Hinc habita: Iſráel tua ſors, tibi portio ceſſit:
Mittequè in electis radices filia noſtris.
Ævi à principio, ſum ante omnia ſæcla creata:
Ultima perveniam felix ad tempora, coram
Pura animi Domino, ſanctâquè in ſede miniſtrans.
Obfirmata diu Sionis in urbe quievi:
Et mihi ſunt Solymæ ſceptrum, quàm magna poteſtas.
In populoquè bono radix mea: numinis hæres
Autumor: in ſancto mea fit detentio cœtu.
Ceu Cedrus in Libano præſum exaltata, cypreſſus
In Sionis agro, quaſi palma Cadeſſia tollor:
In Jerichunte roſæ plantatio mira reſurgo,
In campis ſpecioſa magis delector oliva,
Juxta undam in pláteis platanus frondoſa requiror.
Cinnama ut, ipſa dèdi, quaſi balſama, pinguis odorem:
Myrrha electa dedi quàm ſuavi ab aromate vires:

Ut

Utquè ſtorax, ut gutta, utquè ungula, tota vaporo.
Splendens extendi ramos terebinthus; honoris,
Gratiæ & hi gemmant: fructus quaſi vitis odoros
Parturii, floreſquè meos generavit honeſtas:
Charus amor, veruſquè timor, ſpes ſancta relucent
Sæpè mei partus. In me via, vitaquè, virtus.
Qui cupitis, jam omnes ad me tranſite, replentor;
Spiritus & dulcis ſors eſt plus melle, favoquè.
Nomen in orbe meum referet generatio multa,
Famaquè in æternos mea erit delata triumphos.
Per te ego in his elata tholis quàm glorior! Ardens
Ante tuum ſolium ſubmittor, & offero meipſam.
Omnipotens æterne Deus, tua ſerva recordor,
Quos mihi feciſti, immenſos à ventre favores:
Immortalem animam, puramquè à labe dediſti.
En te magnificat Dominum: in te ſpiritus ingens
Exultavit; ades noſtræ fons ipſe ſalutis. *Luc.* 1.
Reſpexiſti humilem ancillam; quæcumque beatam *v.* 47.
Me dicent ideò venturo in tempore gentes.
Quiquè potens es, magna mihi Pater inclyte, Fili,
Sponſequè feciſti; ſanctum quia nomen habebas.
Qui pius es, pietas juſtis erit omne per ævum.
Patrâſti dextrâ exceſſum: flas mente ſuperbos:
Exaltâſti humiles: poſuiſti è ſede potentes:
Impaſtos reficis: dites dimittis inanes:
Suſcipis Iſraelis onus, benefacta recordans,
Sicut es ad Patres, Abraham, ſemenquè locutus.
Omnibus à populis, ac gentibus omnibus unus *Pſ.* 116.

Lau-

Laudaris Deus; eſt quoniam firmata ſuper nos
Exundans pietas: verax tu ſemper. Opima
Laus Patri, Gnato, Procedentiquè perennis
Gloria, jugis honos, æternaquè jubila. Dixit.
Nondùm erat elapſum vitæ felicius inſtans,
Et Deus omnipotens animam exornaverat altis
Dotibus, innumeris titulis, doniſquè beatis,
Quos nulli dederat, quæ neſciit orbita cœli:
Hæc ita ut inſtanti nullo maculata maneret;
Pura ſed omninò primæva ab origine, in omni
Tempore, vel puncto formata ad imaginis aurum
Alma Dei genitrix, pleniſſima numine manſit,
Semper amicitiæ compar, & criminis expers.
Mox ſibi complacuit perfecto in pignore Numen,
Ac deſiderium æternis complevit ab annis:
Dixitquè eſſe bonum valdè, quod fecerat arte
Ingenitâ, ingenio ſummo, vi vindice culpæ.
Nec mora. Et Angelicæ portenta ingentia turmæ
Agnovêre ſatis: quis gaudia ſumma reponit,
Quiſquè ad virginei rapitur pia fœnora cultûs.
Gratiâ ave quæ plena manes, Reginaquè noſtra,
Servatrix hominum, divinaquè gloria ſalve,
Mille canunt: pòſt tota phalanx, inſigne ſupremi
Imperii, dominæ palmas reverentèr adorant,
Oſculaquè intenſo figunt dulciſſima amore.
Illicò ad Empyreum redeunt cum Virgine Divæ
Perſonæ; ſolioquè Dei conſidere miſſa.
Viſum animâ MARIÆ ingentẽ acceptare coronam;
Filia

Filia enim eſt Superæ, genitrix, ſponſa inclyta, Mentis.
Charior Anniadem, redamat quam præ omnibus unam,
Proſequiturquè Deus titulis maioribus, ornat
Laureolis meritis. Pluſquàm omnia ſemina Adami,
Rapta ſub inſtanti meruit: pluſquàm omnia cœli
Pignora, momento ſcivit præquirere numen.
Si quoquè gignendi numerentur: quàm amplior, unus
Temporis in ſigno meritorius actus habetur!
Fervidiore Deum coluit ceu Mater amore.
Dicebatquè in corde ſuo: Tu, altiſſime Rector,
Vita, anima, Empyreumquè meum; ſine limite magnus,
Incomprenſibilisquè, potensquè, ac dives ubiquè.
Tu, Dominusquè, Paterquè meus; Rex, Sponſus, amorquè
Solus, deliciæquè meæ. Me quiquè creaſti
E' nihilo, meritis maior, maioribus unquàm es
Obſequiis. Tantum præſtat tua ſumma poteſtas.
Noſco tuum imperium, perfectaquè pondera nutûs:
Te noſco immenſum titulis: non altera quæram
Gaudia, nolo alias epulas, te quærito ſolum,
In quem proſpicere exoptant tot Lumina cœli,
Te, mea dulcedo, fruor, ac deſidero ſemper.
Tute mihi auxilium, ſolatia vera, quietem,
Omne bonum præbes: ſors es, poſſeſſio tota:
Tequè Deum, quanvis impar, & pauper amabo.
Non tu mercis eges. Et quos ego parvula cenſus?
Quæ mea, ſunt tua. Do tibi cor: ut amemur ad aras,
Ictum reddo, ictum uni oculorum fortè tuorum.
Alta loquens, vidit recolendum in numine numen:

Ra-

Raptaquè in extaticum ſublimi lumine centrum
Audivit, quæ neſcit homo myſteria fari.
Hæc Máriæ pandit non notus Spiritus: Alti
O' dilecta Dei, quem iterùm atquè iterùm unica in Annæ
Sacro utero, eloquiis intenſa, tueberis. Hauri
Auram: facta vide, par eſt cognoſcere Divam.
Naſcere Diva, tuo cernes miracula in ortu.
Eccè togam humanam indutus, cœleſtis Ephebus,
Virginis ornatu, cœliquè inſignibus, albas
E' cálathoquè roſas, albataquè lilia ſpargens,
Atquè caput lauro, dextram quoquè cinctus olivâ,
Cernuus ante pedes Dominam venerabitur: & te
Tollet ad Empyreum manibus, divoquè ſedentem
Suſpiciet ſolio: dabitur tibi magna corona
Ut Matri, ut Dominæ, Verbi, mundiquè futuræ.
Et ſine nube Deum cognoſces, lucis in arcâ,
Sorte beatificâ, nulloquè ænigmate: viſo
Multoties parili, creſcente ætate, fruêris.
Qualis Bethſábee formoſa, Eſtherquè decora,
Promiſſum populo velit accelerare rogabis.
Tunc Deus indiderit nomen ſpeciale, MARIA:
Seraphicæquè canent, reliquæ velut ordine turmæ
Acclamante polo benedicent ſæpè Mariæ.
Miſſaquè vox: Nomen ſacrum qui dixerit, amplas
Accipiet dotes: juvat hoc ſub triſtibus undis,
Pauperie, ærumnis; in lite, doloribus, armis.
Nomen ubiquè potens, æternæ ad limina vitæ
Eſt via, fax contra infernas in agone tenebras.

Por-

Porrò viri juſti, victuri dæmonis aſtum,
Pectore tranſcriptum pro ſtemmate nomen, & auro
Portabunt, vicibus memorandum pluribus. Ibis
Infantis tempus puerilibus abſque tributis,
Læta animo, quàm parca cibo, venerabilis ore,
Præſentem meditata Deum, generoſaquè dices:
Dormio, corquè meum vigilat. Nulla otia: vitæ
Regula: in ore lepos Dominæ convivet: inibis
Colloquia aſſidua Angelicis cum mentibus; altos
Doctrix Indigetes lætaberis. Abdita cunis,
Utram more crucis quandoquè ad pectora palmam
Affiges: ubi paſſa necem, fer ad inſtar amantis.
Ardens dilectam, lectum revocabitur: hortis,
Et malis ſocius concedet Spiritus: hala,
Oſcula libabunt omnes, ubi preſſa jacerent
Sponſæ languentis veſtigia. Bima puella
Grata, humilis, devota, piens opera alta docebis:
Omniaquè officii materni munia prudens
Exercebis, amans, docilis, laudabilis. Annis
Progrediens, mira acta dabis. Jam trimula templum
Aſcendes: ætate ſimul, virtutequè creſcens,
Ad tria luſtra pio ſervabis culmine numen:
Vota ubi prima Deo caſti pro dote pudoris,
Clauſaquè ad obſequium ſacrum, pauperquè dicabis.
Paulò pòſt abſunt pretioſâ morte parentes,
Patribus adjuncti: morienti aſſiſtis utriquè,
Deducta Angelicis manibus. Fis mortis aſylum.
Nubilis ingenuum, virgâ florente, maritum

Accipies; conjunget amor, quos nulla libido,
Quos Deus: ut mater celêris, virgo manebis
Juncta thoro. Joseph sponsus lectissimus esto,
Dignus honorari Christi Genitricis amore.
Hoc velo non nota orbi, haud incognita cœlis
Consummabis opus magnum. Divina voluntas
Esse prophetiis plenum, acceptabile tempus
Edicens, rorem terris, sub vellere mittet
Agnum, dulcis avem sub pennis arma salutis,
Imperiumquè humeris tinctâ sub veste trahentem.
Nuntius adveniet Nasarêthum, insigne theatrum
Divinorum operum. Promissum, vota, prophetas
Ipsa legens, sacram Esáiæ meditabere vocem:
Concipiet Virgo, & pariet, dicetur & infans
EMMANUEL. Glomerans suspiria magna, loquêris:
Quæ mulier te digna Deo? Tu nobile fœdus
Perficies hominum reparatrix, numinis altrix.
En desiderium æternis à collibus. Hospes
Implebit planas mercedum flumine valles,
Lætitiâ montes natus, te matris honore.
Proponet Gabriel mandata: humilisquè volenti
Annueris. Deus ádvenit: *Et Verbum Caro factum est.*
Post Elisabetham invises, Joanne vicissim
Præcursore gravem, tua quem præsentia purum,
Sanctumquè efficiet: Benedictaquè Matre canente
Ante omnes, ventrisquè tui, revocabere, fructus.
Montanis abiens, zelantis conjugis iras,
Suspectum extingues ignem: Bethlemitica ad arva

Cæ-

Cæsaris ob censum perges cum conjuge justo,
Pauperiem mundo insinuans plerumquè beatam.
Frigora quo vites longæ inclementia noctis,
Quo vel prætereas incommoda sueta diei,
Despectum stabulum invenies. Animalibus antrum,
En casa rebus inops, rata diversoria fœno.
Hæc bonus Empyrei Dominus palatia, nulli
Æmula Romulidûm, tectis meliora superbis
Persarum, Serumvè opibus magis ampla tenebit.
Clausum decurret mediâ jam nocte December:
Præveniente diem cœlesti lumine, salvâ
Virginitate, Deum humanæ sub carnis amictu
Ulnis excipies: cujus tremefactus avernus
Nutu aderit, quando mortalia corda Redemptor
Salvet, & inferni victor fera limina claudat.
Vagitu agnoscet Joseph hominemquè, Deumquè.
Visum pastores venient, cœlo indice; voces
Intonat Angelicas. Octavâ luce Puellus
Circumcisus erit, JESUSquè vocabitur; orbis
Est hic Salvator. Longè deducet eoos
Tunc nova stella Magos, ditissima dona ferentes,
Aurum, thus, myrrham, quæ monstrant munia nati.
His ferus Herodes delusus, sanguine miti
Quæret vindictam: signatum Principis ortu
Quæret, ut occisus pereat. Tot cædet ephebos,
Quot dabit officio provincia tota cruento.
Ploratus magni resonabunt vallibus imis,
Audiet & pia Rhama suos: in funere tetro

Rachelis deplanget amans. Decreta tyranni
Te fugiet fugiente puer: ſalvare memento,
Quem Rex nollet atrox. Ægyptiquè invia teſqua,
Donec pervenias decretam ſolis ad urbem,
Cum puero intrabis, ſocio præeunte Joſepho.
Sol per zodiacum ſeptem vagus orbibus ibit,
Indè revertêris, patriæ indultura gementi.
Gratia monſtrabit puerum: ſapientia dicet,
Quantus erit. Referat biſſenos nobilis annos,
Aurea & ipſe puer Solymorum templa ſubibit.
Siſtentes coram Domino pia vota feretis:
More tribûs reduces,(dolor heu!) non illicò cordis
Delicias veſtri, tantorum illuſtre dierum
Invenietis opus. Retrò gemebunda columba
Inquires votorum animam, vitamquè tuorum:
Preſſa ſodalitio montes, & mœnia, & urbem
Luſtrabis, vigileſquè diu vaga ſponſa rogabis
Pro nato, ſponſoquè, uteri pro pignore charo.
In templo puerum doctores inter obibis:
Auſcultans, de lege rogans, oracula ſcrutans,
Exuperabit eos. *Sapientis gloria quanta!*
Obteget exactos puerili ætate dolores.
Innumeris exempla dabis virtutibus exin,
Donec ter denos veniat Promiſſus ad annos.
Jejunus noctesquè, diesquè, exemplar eremi,
Tunc deſerta colet, populoquè implebit amico.
Tollet ab urbe viros electos: indequè ab omni
Gente ſequendus erit divini ob ſemina verbi:

Effa-

Effatisquè ſuis opera obſequioſa videbunt
Reſpondere omnes. Miracula vera patrabit,
Fomes ut invidiæ velit illum tollere mundo.
Mundus poſt illum viſus jam totus abire.
Nuſquàm audita homini, myſteria rara docebit,
Dogmata ſacra, viam vitæ, moreſquè beatos.
Doctrinæquè ſuæ præcones eliget ipſe
Biſſenos, humilesquè viros, terramquè peroſos,
Mente rudes, quîs rupta cibos dant retia viles.
Tantum ſuppleret raucis mens indita linguis.
Per Solymam Chriſtus multâ redimitus olivâ
A' populo ducetur ovans : pòſt (alta Tonantis
Judicia ! æternæ ſunt hæc decreta ſaluti)
Proximus excidio, ſub quo ſplendebit amoris
Ingeniti ſpecies, divina chariſmata cœptus,
Nobiſcùm ut maneat ſemper, vi numinis altâ
Sacramentum ingens, corpus cum ſanguine verum,
Inſtituet : cœnâ factâ, dicto illicèt hymno,
Diſcipulis, uno elapſo, comitantibus hortum
Aſcendet : peccata hominum luiturus in udo
Sanguine, ſuſcipiet dirum proſtratus agonem.
Milite ubi prenſus multo, vinclisquè ligatus,
Iſcariothe dolum patrante, alioquè rebelli,
Ceu latro ducetur : prætoria tecta Pilati
Inſons ſcandet ovis, Patrisvè innoxius agnus
Verbera cruda feret, paliuros frontis acutos,
Scommata dira, alapas, & ſputa, tripudia, calces :
Undè reus mortis fiet præcone boante,

Qui

Qui pater eſt vitæ. Tantum in ſcelus impie judex
Pontificum livore rues: adverte vel unum,
Quòd nullam invenies in eo pro funere cauſam.
Impete deducent rarâ feritate miniſtri
Ad loca ſupplicii: inſontem fora, compita, calles
Mirati, fient pretioſi ſanguinis urnæ.
Accedet monti Iſáacus, cruce bajulus: horror
It per membra ſacer, feſtinat mortis imago.
Heu mors! Quis referat tot, quot tormenta miniſtras?
Alto, ad conſpectum mundi, claviſquè refixus
In ligno, parcens nocuis, *capite inclinato*
Expirabit. Hiat tellus, ſol lumine nutat,
Scinditur & velum templi, telluſquè tremiſcit,
Quando ſuum authorem, morientẽ aſpectat in orbe.
Eccè novo poſitus tumulo cum ſindone mundâ,
Præ ſtellis qui mundus erit. Tu candida Mater
Pignoris in tragico ſiſtes tum plena dolorum,
Inconſolatis reviviſcens unica pœnis:
Pectus ad ima tuum gladius tranſibit acutus:
Nec dolor, ut dolor iſte tuus. Tamen omnia ceſſant,
Quæ dare conſueſcit mundus: tua gloria nunquàm.
Terna dies lacrymas expoſtulat. Indè reſurget
Clarior eoo Chriſtus phœnice Redemptor.
Cum Patribus, quos limbus habet, tandẽ ipſe ſubibit
Empyreum, portas attollens jure triumphi:
Inquè ſinum Patris rediens, dextrâquè ſedebit,
Donec caſtiget Joſaphati in vertice ſontes.
Mittet item mundo Paraclêtum, quiquè docebit

Om-

Omnia, firmatoſquè ſuos in Perſida, & Afros,
Heſperias, Aſiam, Romæ in capitolia ducet.
Tu quoquè Apoſtolicos vivo ſermone Magiſtræ,
Virgo, Viros ductabis amans, & vera docebis
Symbola: tu hæreticos vultu radiante domabis,
Orequè confundes, quoties opus indice divâ,
Auxiliovè tuo: ſecura Eccleſia vivet,
Dum, velut ara, tuis manibus ſuſtenta manebit.
Tu pia mater ades, lacrymoſum in gaudia, feſſum
In requiem, indomitumquè animum ad ſacra otia mittes.
A' te omnes exempla petent, Dux certior: ad te
Omnes confugient, columen dabis omnibus altum.
Quaproptèr benedicta aderis per ſæcula cuncta,
Cunctaquè laudabit te natio ſolis ab ortu
Lucis ad occaſum, oppoſitoſquè utrinque coluros.
Urgent ingentes dotes, tot munia malunt
Diviſos ad feſta dies: tua vita nitores
Prodigioſa feret; ſummis, quæ pura, nitebit.
Unuſquiſque dies magnarum erit area laudum.
Naſcere bella infans, cythararum exordia, mulcens
Auſcultabis epos, ſacra cantica, luſtra, jocoſquè
Devoto ex animo, reverentequè pectore latos.
Præſentare pio Sanctiſſima fœmina templo;
Purificare Deo, cui des ſine crimine partum;
Et tranſi è pelago in portum, terramquè relinque,
Cùm decies ſeptem vitæ numeraveris annos.
Ergò ſubi Empyreum, comitantequè corpore vitam,
Immortalem habeas cœlo donante coronam.

Nam

Nam terris addes nova feſta, nova agmina laudum.
Hauriet inſignis tum quas Conceptio laudes!
Quàm ſpatioſus ager, ſpecioſa vel eſſeda feſtis!
Innumeros en noſco viros, virtutequè claros,
Pennâquè illuſtres, qui rara encomia cantent:
Doctores, qui vota ferant: qui oracula firment,
Pontifices: qui clauſtra, Duces: qui examina curent,
Reges: promoveant decus immortale, Dynaſtas.
Tunc nova conciliis lux apparebit: ad unum
Singula prætendent Marianas ſymbola luces.
Sivè aliqui dubitent, applaudent deniquè multi;
Sivè negent alii, exibunt ad prælia plures.
Exhauſto bello certa eſt victoria, Virgo:
Ad tua conſpiret totus myſteria mundus,
Quis neget, aut dubitet? Mente inſpirante ſupernâ,
Cùm tua lætitiam Conceptio proroget orbi,
Tempus erit, votum Romana Eccleſia pandat.
Hinc tibi proveniens reviviſcet gloria maior.
Deſiit occultus myſteria Spiritus alta
Promere, in egregium thalamum ductare paratus
Candidiorem animam. Cœtus tumet axe decorus,
Quandoquidèm excelſus Dominus bipatentis Olympi
Matris in excubias ſignavit mille dynaſtas,
Stellatâ ſub veſte deos. In munia cuncti
Contribuêre chori. Tanta eſt præ Virgine pompa.
Ex his biſſenos juvenes modulamine, & ore,
Deſtinat, ut Matri cœleſti in corpore præſint:
Hiquè novis ſignis pro ſtemmate muneris albent;

Sunt

Sunt etenim hi numero portarum computus urbis.
Ter ſenos æquè, próceres ætate virili,
Semper ut aſcendant, redeantquè ad nuntia, cœlos;
Ceu pridèm extatici Jacobi, hæc ſcala Mariæ.
Mox decies ſenos, victricis dotis ephebos,
A' Deo obarmatos equites in bella draconis,
Semper ut affectus teneros in Virgine flarent,
Tot veluti quondàm thalamum Salomonis obibant.
Indè decem virtute duces, quibus aurea veſtis,
Ex meliore choro, primum qui habuêre triumphum,
Semper ut afflictam ſolentur in orbe Mariam;
Sint quaſi primores, per quos defenditur, Urbis.
His ita delectis, alii pro ſorte beatum
Allaudant genium modulis, rarisvè loquelis,
Verſibus aoniis. Alternisquè agmina cantant:
Urbs ades, illa quidem cœlo deſcendere viſa, *Apoc.21.*
Quæquè parata Deo, veluti ſua ſponſa marito:
Eccè novum cœlum aſpicimus: nova terra reſultat:
Primaquè terra abiit, cœlum quoquè origine primum,
Et mare defecit; quia erant cum crimine labis.
Convivit numen mortalibus: eccè fit unum
Et Deus, & populus, fugitivaquè mortis imago
Excidit. Urbs ſancta es tu, ſponſaquè diceris Agni:
Urbs es clara Dei, cryſtallo abſcondita mundo:
Et nihil intrabit, quod penè coinquinet illam;
Nil niſi purum intrò admittes urbs pura metallum.
Auroræ ſimilis gráderis, ceu luna decôra: *Cant.6.*
Sol electa, acies caſtrorum præ ordine terrens.

Tu, quæ aſcendiſti deſerto, animoquè fluente
Deliciis, innixa Deo, ſtas ejus ad umbram.
Tu, quæ aſcendiſti, fumi ceu virgula, luco :
Thure fragrans, myrrham redolens, tu pulvis odorus.
Fortis tu mulier, gentes inventa tot inter, *Prov.*
Eminùs alta venis, pretiumquè à finibus orbis. 31. *v.* 31.
In te cor fidit ſponſi, ſpoliisquè reluxit :
Non mala, multa ſibi reddes bona tempore vitæ.
Otia tu neſcis, lanam, linumquè petiſti :
Conſilioquè manûs operata opera inclyta, ſiſtis.
Mercatorum ideò facta es, quaſi navis opima,
Aſportans vitæ peregrino è tramite panem.
Surrexiſti, adhibens præ nocte cibaria ſervis :
Perpexiſti, emeres agrum; modò vinea gemmat.
Accingas lumbos, & robore brachia dones,
Eſt fama : ut guſtans, lucroſa negotia tentas :
Nunquàm extincta aberis, tenebris laterna nitebis.
Tu digitos niveos miſiſti ad fortia, parvas
Res fugis : auratas inopi das cernere palmas.
Frigore prærigido domui non indè timebis :
Eccè tui ſervi duplicem experiuntur abollam.
Stragula dat tunicam, dat purpura byſſina peplum :
Nobilis es, portâquè ſedet vir in urbe ſenator.
Sunt tua ſigna decor fortis : ridebis in ævo
Ultima. Ab ore tuo retulit ſapientia normas :
A' linguâquè tuâ didicit clementia leges.
Non oblita domûs, cómedis non languida panem :
Germina, vix ſurgunt, proclamant ore beatam,

Te-

Tequè vir allaudat. Multæ aggeſſêrequè gazas
Matronæ, cunctas ſuperas in dote : caducus
Frontis honos, eſt vana icon, eſt gratia fallax ;
Quæ matrona Deum timet, allaudabitur ipſa.
Quot manuum fructus, quot ſunt bona cœpta tuarum,
Tot tibi jam laudes, tibi tot ſunt præmia, Virgo.
Ad clauſtrum reditura ſuum, prævidit in ipſo
Clariùs alta Deo. Trinum præſcivit adeſſe ;
Munia trina gerit, noſcit, comprendit, amat ſe :
Unum in principium redeunt, quia & *omnia hic unus.*
Eſt Pater, eſt Naſcens, eſt Spiritus undiquè Sanctus :
Eſt Pater ingenitus, genitusquè ante omnia Natus,
Spiritus unda Deus fluvio procedit utroquè
In mare non menſum bonitatis pervia ſummæ.
Natus mente Patris, vix protulit omnia, Verbum :
Spiritus utrius vivo ſpiratus amore,
Vivus amor, diſcretus amor. Sibi quiſque relatus,
Perſonarum opifex triplex, in numine ſimplex :
Non eſt poſterior, non eſt prior ullus : earum
Neu minor, aut maior : cunctoquè æternior ævo,
Quævis ipſe Deus. Trinus Deus, unus habetur :
Una tribus rebus ſubſtantia, trina ſub uno
Principio ſpecies, radius de lumine triplex.
Novit ſponſa Dei præamatam ab origine ſe ſe,
Atquè prælectam ſpeciali jure fuiſſe :
Præconceptam ideò ſine crimine, moxquè creatam
Ulteriore morâ ſine labis origine puram.
Novit & invidiâ certamina cœpta, malignum

Dæmonici ſerpentis opus, qui penè volebat
Eſſe Deo ſimilis, ſolium ſuper aſtra locare.
Novit & inſidias ſátanæ, nè Mater Jeſûs
Immaculata foret, primo conceptaquè motu
Temporis, à maculâ immunis: vitamquè per omnem
In ſacra peſtiferos novit myſteria partus.
Novit & arguto cólubrum ſermone loquacem,
Primorumquè Patrum caſum mortalibus atrum.
Novit & in Verbo cunctas, munuſquè futurum,
Eſſe creaturas; (maiornè ſcientia?) in ipſo
Numine præteriti ſeriem ævi, multa futura,
Cœlorum motus, naturæ abſcondita facta,
Virtutumquè gradus, habitusquè ſcientèr earum
Novit. Ibîquè Deum coluit, laudavit, amavit
Propter inexhauſtas excelſo in numine dotes,
Propter & acceptos cultu reverente favores.
Proquè creaturis oravit, prompta ſalutem
Aſportare humeris, valeat ſi parvula, noſtram.
Cymbala, & altiſonis concentibus organa, divis
Siſtra ſonis, experta redit, (præ limine numen)
Quingentis ad utrumque latus ſtipata miniſtris.
Ut ſolet in centrum rapidiſſimus Iſter abire,
Nilus ut ipſe ruit ſublimi è caute, redundans
Et Tagus, ac Durius, pluido cùm flantur ab euro,
Quin ſiſtant; & vix linquunt in margine ſpumas:
Credideris gemmas, quas tum puer obvius ambit.
Sic Virgo è cœlo devênit: & ales inundat
Omnia, ſeu radiis animæ, ſeu dotibus: unà

Tor-

Torrens exiliens paradisi è fonte Maria,
Absquè luto fluvius de sede potentis Olympi.
Urbs quoquè, quam fluvii violentia circuit amplam:
secùmque extrahitur multarum opulentia gentûm.
Vera Urbs Jerusalem, modò quæ descendit ab astris:
Impletquè allato maternum lumine claustrum,
Cantat ubi: Eccè ancilla Dei; quæ gloria nostra?
Quò magis ut Mater? Non horreo matris opertum
Nube uterum: hôc cœlum intueor: non curo latebras,
Suetos infantum vagitus nescio: terret,
Proh dolor! Infantem (certa est mihi causa doloris)
Primi hominis facinus, culpa horrida, cujus origo
Est nihil: ast animæ inflictus pro morte reatus.
Qui non pertimeat peccatum, numen abhorret.
Ausit quisnè Dei factura, offendere plasten?
Perdere quisnè? Suo privari lumine mors est.
Heu! peccata hominum video. Hæc est ansa dolendi,
Tot mala deplango sine crimine. Dixit. Et arcto
Effudit virgo lacrymas in ventre: fuerunt
Auroræ nivei fontes, quibus irrigat orbem:
Vultquè è ventre hominum naturam reddere puram.
Tantus honor puræ virtutis, tantus & ardor,
Tanta sibi pietas, ut sisteret indè redemptrix,
Rursûmque ignivomi victrix matrona Draconis.
Ergòque Judæas invisit florida terras
Turma, triumphantis specie fruitura MARIÆ.
Ecce novum cœlo signum comparuit alto:
Ornatum mulier peregrino visa repentè est,

Cu-

Cujus sol faciem radiis, & corpus amixit:
Lunaquè gemmantes pedibus submissa cothurnos
Credidit, auricomumquè caput duodena retorto
Penè coronavit stellarum copia nodo.
Plena uterum veluti gereret, clamabat ad auras
Parturiens, dudùmque graves est passa dolores.
Haud procul eccè draco gyris contortior, ingens
Corpore, septenumquè caput, bis quinaquè mostrans
Cornua, tentabat septem diademata rufus;
Caudaquè stellarum ternâ cum parte cadebat.
Et stetit ante illam, quæ aderat paritura: voraret
Natum, vix peperisset eum. Data pignoris hora.
Ergò marem peperit venturo tempore gentes
Omnes recturum ferratæ in stemmate virgæ:
Adquè Deum raptus, solio consedit eburno
Filius. Austeramquè petivit mater eremum,
Sedem ubi divinâ reperiret ab arte paratam;
Sexaginta ubi bis centum cum mille diebus
Pasta foret. Tum magnum oculis, certamen olympo
Visitur. Angeli enim duce cum Michaele draconem
Excipiunt bello: serpens in dira paratis
Castra suis, orsus cœlo pugnare, subactus
Perfuga, terga dedit; nequè enim valuêre tenaces
Consilii pravi resipiscere, & ampliùs astris
Non locus inventus, quem inculcavêre rebelles:
Projectusquè draco ille ingens, vetus illequè serpens,
Qui seducit adhuc, sátanas cognomine, mundum.
In terram jacto, ipsi etiam jacuêre sodales.

Hæc

Hæc visa æthereo dudùm conspecta theatro,
Principio horrorem magnum, dein axe tumente
Sacratum respectum animis, & mentibus acrem
Historiam retulêre piis, qui condito ab orbe
Sunt ante Elysios in opaco tramite campos.
Quàm propè terribiles Acheron, Cocytus, Avernus,
Post quos Eumenidum sedes, & limina Ditis,
Portaquè Cerbereis inferna latratibus horret.
Ignem ubi perpetuum per viscera cruda voracem,
Fœtorem, friguſquè luent: stridentia dentûm
Murmura, ploratus rabidos, sine funere mortem,
Et sine fine chaos malus ipse homicida Caînus,
Jezabêla ferox, ac desperatus Abîron,
Proditor Icarius, Cáiphas, Ebrionquè, Cherintus,
Atquè alii infames, sociis cum dæmone trusis,
Quîs datus antè locus, tormenta æterna piabunt.
Proximior manet ignis edax, sed suavior illo,
Undè statim exibunt, minimo quadrante soluto,
Felices animas, justas ad præmia mentes.
Distat ab his lucus, terræ inferiore cavatus
Viscere: turba suis caveis hìc grandis oberrat:
Nec sibi pœna, dolor nullus, neu gloria, & hauſtus
Luminis; ast hilares curæ, irrequieta salutis
Fortè quies, meritum numen spes alta videndi.
Hi siquidem nostris quàm distantissimi ab oris,
Affixum stellis monstrum, portentaquè cælo
Conspexêre, rati præsentia grandia facta.
In perscrutandis aliquantùm ænigmatis orsis

Con-

Conticuêre omnes Patres, latebræquè profundæ,
Lata caverna diu; ſuſpenſaquè ab omine tanto,
Tandèm hiſcit, magnamquè capit præ vertice lucem.
Ex adytis audita fuit vox magna recluſis:
Nunc eſt facta ſalus, & virtus, nobile noſtri *Apoc.* 12.
Eccè Dei regnum, Chriſtiquè excelſa poteſtas; *v.* 10.
Quippè accuſator fratrum, projectus in ignem;
Accuſabat eos conſpectum numinis ante,
Nocte, diequè ferus. Victoria luxit at Agni
Sanguine parta, Dei teſtantis & auſpice verbo.
Victores animas poſuerunt mortis ad aram;
Nec ſibi tam duro generoſi in agone timebant.
Quarè hilares eſtôte poli, & qui habitatis in iiſdem:
Væ terræ, atquè mari! quoniam deſcendit in imum
Vi Phlegethontæâ coluber, quique æſtuat irâ;
Iracundus eò, modicum quòd tempus habebat:
Tot mala concipiens, Matronam deſtinat exlex
Perſequi: at allatis aquilæ pernicibus alis,
In deſerta volat mulier loca: tempora, tempus,
Dimidiumquè alitur, fugiens ſerpentis ab ore,
Qui vomit ore ſuo, retrahatur ut ipſa, fluentum.
Terra juvans, abſorbet aquam: ſtimulatus abivit,
Prælia facturus reliquis de ſemine ſancto,
Qui mandata Dei ſervant, Chriſtique capeſſunt
Auſpicium. Dracoquè ipſe ſuprà maris adſtat arenam.
Poſt hæc unà omnes cæleſti ab imagine læti,
Aurea felici concurrere ſæcula ſigno,
Proximaque è lucis abeundi tempora priſcis

Conji-

Conjiciunt. Sed mirum adeò, experientibus ipſis,
Evenit. Ornatu inſolito de Patribus ulli
Conſpicui, illuſtres, radiantequè vultibus aurâ
Ante alios hilares (quibus abdita cauſa) videntur.
Veſtis erat byſſo perpulchrior, undiquè gemmis
Prætextata novis: qualem finxiſſe deorum
Mens velit: Alcinoes non pulchrior extitit hortus,
Tam benè adornavit tempe non Chloris: abolla
Albida vincebat cygneas eminùs alas,
Circumtexta notis brevibus, quales Hyacinthus,
Quales Romulei páteris ſuevêre Dianæ
Sculpere, Troianiquè Duces in caſſide, & armis.
Trina notabatur maiori littera puncto,
Ante latus deſcripta auro. Næ candida byſſus
Signat avos Máriæ; Regum ſeu ſtemma, veniret
A' quibus: utquè, tribum, Levitica lamina, monſtrat.
Teſſérulas commenti habiles de more Prophetæ
Acclamaverunt: *Máriæ Conceptio Pura.*
Eſáias vocem tollens ad cantica, dixit:
Pura es, iò totum Máriæ Conceptio in ævum.
Tres alii carmen repetunt, ſociiquè Minores:
Pura es, iò totum Máriæ Conceptio in ævum.
Cui promiſſus, Abrâs, proprio de viſcere fructus,
Laudat opus votis: Máriæ Conceptio pura.
Iſáacus, Jácob, Eleâzar, Abélus, & Adam,
Innumeriquè canunt: Máriæ Conceptio pura:
Heroum è numero prægrandis murice Jobus
Verba canora ſonat: Máriæ Conceptio pura.

Moſes paſtorum Princeps nova nuntia mundo
Relligioſus arat: Máriæ Conceptio pura.
Indè Sacerdotum decus altum ſummus Aáron
Dulcitèr intonuit: Máriæ Conceptio pura.
Pſaltes ille David cum Regibus alta profatur
Eloquia: Æternùm Mariæ Conceptio pura.
E' Ducibus vexilla trahens, encomia magnus
Zorobabêlus ait: Máriæ Conceptio pura.
Eſther, Bethſábee, Suſannaquè, Júditha, & Eva
Suavitèr alternant: Máriæ Conceptio pura.
Omnisquè unanimi repetivit copia verſu:
Pura es, iò totum Máriæ Conceptio in ævum.
Tot Patres inter longo velatus amictu,
Viſus ſtare diu Salomon; ad carmina vultu
Detecto, inſigni pernotus mente per orbem,
Ante omnes Regeſquè, Duceſquè, viroſquè peritus,
Hæc ait: Hinc ſocii, detenti carcere quondàm,
Nunc paradiſo, erimus ſalvi; formoſus Apollo
Cùm ſex octonos cœlo perfecerit orbes.
Eſt ita decretum. Mentiri neſcius, alto
Hæc lego; ſtabit enim nobis proſperrimus annus,
Naturæ & felix, quo magna Redemptio fiet.
Chriſtus ad hunc veniet ſolvendi è carcere limbum,
Mortequè devictâ Empyreo nos ſponte ferendi;
Pace ubi, quæque fuit nobis promiſſa, fruemur.
En concepta manet ſine labe, en bellica Mater,
En mulier, quæ vicit atrox de dæmone bellum:
Quæ pede contrivit furibundum ſæpè Draconem:

Cu-

Cujus in albatis ferimus nos veſtibus arma.
Concipiet Virgo, mundo paritura Puellum,
Qui deſiderium complebit fœnore noſtrum.
Advênit felix nobis aurora. Sigillo
Fidamus, non tardat ovans, dabit unica ſolem.
Dilecti ſponſa eſt, de quâ jam plurima dixi:
Si ſpectamus opem, primordia diva canamus.
Noſco manus, noſco ora deæ: vis intùs odorum
Nos trahit, ut veneremur eam, quæ eſt mater amoris.
Omnesquè alternis repetamus vocibus hymnum:
Eugè Marîa diu; tua nam Conceptio pura.
Es tu pulchra nimis, formoſaquè tota triumphas:
Nobiſcum tu Mater ova. Tuquè unica noſtræ
Spes es lætitiæ, noſtræ tu ades anſa quietis.
Tu Regina poli, tu filia Principis ora
Pro nobis, titulo digniſſima, Sancta MARIA.
Sancta Dei genitrix, tu candida, ſanctaquè Virgo
Virginum, amans Mater Chriſti, divinaquè Mater
Gratiæ: ades Mater puriſſima, caſtior unà,
Inviolata, atquè intemerata, & amabilis, extas
Mira: Creatoris nobis ſuccurrito Mater,
Salvatoris item. Prudens, veneranda, colenda,
Virgo potens, Virgo clemens, tu Virgo fidelis;
Juſtitiæ ſpeculum. Undè fluit ſapientia, Sedes;
Cauſaquè lætitiæ noſtræ, Vas ſpirituale,
Vas inſigne precum, Roſa Myſtica, Dávidis arx, &
Turris eburna nites: Domus aurea, Fœderis arca,
Janua, Stella, Salus ora, imploramus. Aſylum

Peccatorum ingens, Solatrixquè unica rerum :
Chriſticolûm auxiliũ. Indigetum ò Regina ſuprema,
O' Patriarcharum facilis Regina venuſta,
O' que Prophetarum docilis Regina benigna,
O' & Apoſtolici cœtûs Regina modeſta,
Martyrum ovans felix fortis Reginaquè conſtans,
Confeſſorum habilis comis Regina perampla,
Virgineiquè chori ſapiens Regina pudica,
Tu quoquè Sanctorum doctrix, Regina Magiſtra,
Ora pro nobis, cæcâ qui claudimur orâ.
Noſtra in te ſpes firma manet; quia certa voluptas,
Omnibus omnis ades tu lux, tuquè omnia nobis.
Non minûs in terris patuêre inſignia monſtra.
Ceu tuba, cardinibus ſonuit de quattuor orbis,
Ut cœli, ac terræ Dominam facta omnia laudent;
Per magnum ſpatium ſonitans vox illa, profatur :
Omnia Conceptâ Máriâ benedicite veſtro *Dan. 3.*
Læta creatori, laudate in ſæcula numen. *v. 37.*
Vos Cœli próceres, animati ad nuntia Venti,
Cœlum, cœleſtes & aquæ, Dominiquè perennes
Virtutes, Luna, ac Stellæ cum Sole priorem
Commendate Deum, Domino benedicte tanto.
Roſquè, pruina, imber cum frigore, & ignis, & æſtus;
Nixquè, gelu, glacies, nocteſquè, dieſquè, tenebræ,
Lux quoquè, tum nubes, tum fulgura, & infima terra;
Montibus innixi colles, & germina cuncta,
Et maria, ac fontes, & flumina, nantia, ceteque,
Et volucres, ac bruta, pecus, benedicite linguis.

Lau-

Laudet & Iſráel, hominumquè à ſpretmate creti,
Vosquè Sacerdotes Domino acclamate ſupremo.
Servi, Animæ juſtæ, Sancti quoquè, Spiritus omnes,
Corde humiles, Domino benedicite tẽpus in omne.
Omnia lætitiæ candoribus, omnia claris
Prodigiis elata favent. Ad feſta Marîæ
Singula concurrunt, naturas cuncta reformant,
(Cælum antiquum abiit, nova terra apparuit orbi)
Linguasquè aſſumunt Dominæ pro laudibus altæ:
Conceptam ſine labe deam jam ſingula clamant.
Inter aves miros cantus Philomela parabat,
Exponitquè avibus divina tacentibus orſa.
Pica iterùm repetit, concentum imitatur eous
Pſittacus, atque Pavo, atquè Aquila ut Regina volantũ,
Ipſa etiam altiloquis modulis, ſoli æmula Phænix,
Terquè, quaterquè canunt: Mariæ conceptio pura,
Mater ave Virgo, mitis ſine felle columba.
Concinnant inſecta ſuas, Ape principe, laudes:
Mellifluis veſtigat Apis ſermonibus Hyblam,
Veſpæquè allaudant, Bombyces, Stellio, bombis
Papilio de more ſuis: Conceptio pura,
Siſtis Apis Libani Virgo, tu gloria noſtra.
Non oblita novos formant animantia plauſus:
Rex Leo, conciliis factis, ad jubila turmas
Convocat. Accedunt Elephas, Bos, Cervus, Hyæna;
Depoſitâ feritate Tigris, Lyns, Urſus, & Hyſtrix;
Pleraque conveniunt, præconiaquè alta Marîæ
Pro ſueto ingenio condunt: Conceptio pura,

Vir-

Virgo illustris ave, Regum paritura Leonem.
Flexilibus currit Balæna per æquora pinnis,
Diluvium eructans naribus, retonantequè flatu;
Attonitum Oceanum subitus tremor occupat, aurem
Præbet, & è centro pisces afferre jubetur.
Illicò ad imperium vasto sub gurgite paret
Agmen squamigeri pecoris, Delphinus, Onistus,
Thunnus, Acus, Conger, Mullus, Corvinus, Alosa:
Jussiquè excelsos Máriæ venantur honores,
Atquè suo applaudunt saltu: Conceptio pura,
Mater ave, quærent nostrum tua pignora cetum.
Ut maris audivêre sonum Conchilia, littus
Acquirunt, quàm digna etiam laudare Mariam:
Concha, Lapæ, Cochleæ, Testudo, Cancer, Echinus,
Squilla, Ostrum, Mitilus, Pecten, Murexquè præibant,
Buccina dat sonitum: Máriæ Conceptio pura,
Eugè Tuba & muros delens, Jerichuntina Virgo.
It genus arboreum præconia ad alta Mariæ;
Laurus, Oliva, Cedrus, Quercus dant festa, triumphos,
Atquè rogos hilares, & templa perennia tollunt,
Expressâ in foliis, ramis, in cortice, trunco
Materiâ laudum: Máriæ Conceptio pura,
Salve Ebenus Virgo, sanie taboquè remota.
Formosæ nimiis exultant risibus herbæ,
Lætæquè arce juvant optatum paupere cultum:
Jam modò se manibus, mẽbris modò fœnus odorum,
Tectis fasciculos cœlesti rore virentes
Dant Casia, Antyllis, Melilotus, Ruta, Papyrus,

Men-

Menta, Crocus, Myrthus, Libanôtis, Salvia, Amomum:
Ventiquè arte boant: Máriæ Conceptio pura,
Salve plantata Empyreo, Botrys enthea, Virgo.
Agmine compoſito veniunt examina florum:
Alba liguſtra viam faciunt, Vaccinia, Calthæ,
Lilia, Narciſſus, Coſtum, atquè Hyacinthus, Acanthus;
Et ſine ſente Roſæ, ſpecie variante, coronam,
Seu vice gemmarum, ſeu mille coloribus, aptam
Ad ſua vota ferunt: Máriæ Conceptio pura,
Vox ſonat à ſerto, Virgo, tu floridus hortus.
Quîs ſenſum natura negat, dare jubila ſenſim
Non vetat: ad laudes Adamas, & Murrha, Rubinus,
Stibia, & Electrum redeunt: in Iaſpide vivo
Hæc deſcripta trahunt: Máriæ Conceptio pura,
Unio magnus ades, præſtans gemma omnia, Virgo.
Tinnitura diu ſaliunt pretioſa metalla,
Uiſceraquè erodunt ſiccæ penetralia terræ:
Cruſta nec argento, nec fæx diſcernitur auro,
Cuprum, Æs, Stannum, Oricalca ſonant: Conceptio pura,
Albior argento es, Virgo, pretioſior auro.
Lætitiam induti ſuavi modulamine fontes,
Laudibus invigilant Aganippe, & Caſtalis unda:
Et qui Pegaſeâ vi rumpitur, Hippocrene
Æternùm fatur: Máriæ Conceptio pura,
Salve de cœlo veniens fons, inclyta Virgo.
Detinuêre ſuum ſtagnantia flumina curſum;
Quæ vidêre, loqui veluti ſtupefacta nequibant:
Sabbation fortaſſe die per ſæcula noto,

At-

Atquè Tiberiades, Cedron, Jordanis in ævo
Venturo recinent miracula, quæquè vel uſquàm
Vidit nemo; iterùm vires ad guttura ſumunt,
Murmurequè altiſono vicinos diſticha campos
Præcipitata docent: Máriæ Conceptio pura,
Salve, Virgo, audis paradiſi dulce fluentum.
Ad ſonitum excelſi ſcandunt in ſidera montes
Conſpectum juxtà oſtentum: Sina, Moria, Seir,
Amanus, Selmon, Libanus, Carmelus, & Hermon,
Scandit Olivetus, Thabor quoquè, ſcandit Olympus:
Felices proindè ſumus, qui vidimus, aiunt,
Æternorum operum perfectius, orequè ad omnes
Proclamant montes: Máriæ Conceptio pura,
Salve, Virgo, Dei Mons es ſupra aſtra locatus.
Demùm alacri exultant Urbes ad jubila paſſu,
Et laudi, thuriquè, ſuo pro munere, Divæ
Sæpè ſtudent. Sit quæ, confuſo murmure cunctæ
Aiebant, Urbs digna thoro naſcentis? In orbe
Quæ domus ad Máriam? Seu quæ palatia tantam
Jure queant retinere Deam? Non Orbis aſylum
Majeſtatis adeſt: habitacula digna Mariæ
Rerum Opifex nova condet. Opus petit ardua magnum.
Omnibus innaſci viſum: non una, ſed omnes
Participes fieri Judæa ad pignora debent.
Roma potens, Babylonquè tumens, vel forſan Athenæ,
Urbes præcipuæ mundi, cunabula poſſent
Credere, digna darent minimè: maioraquè cunis
Stant nova Jeſſæi ſplendentia lumina vultûs.

Pro-

Prodiit en genius tot dotibus, aſſecla lucis
Solem pro cunis, &, ſiquid maius, habebit.
Laudibus innumeris fruitor : *Conceptio pura,*
Urbſquè Dei ſalve, numen capis unica tantum.
Una ſed ante alias, quondàm certè infima tellus,
Vicinis ignota ſuis, ſine nomine vicus
Deſertus, modò ſignatis caput extulit aſtris,
Nazara, in exemplum ſæclis memoranda futuris.
Quæ priùs in ſortem Chanaâno venerat ora,
Iſráelis habet, Judæquè optabile nomen;
Mox Requies Domini, Promiſſio, Terraquè Sancta
Inditur acceptos ob numine dante favores.
Diditur in quatuor quàm maxima jugera terra,
Dicant regna alii. Pernobilis ambit Idume
A' Sirbône lacu, Gazâ, Joppequè celebris:
Auſter Judæam magnam tenet; inclyta templo,
Urbequè Jebúſeâ regio præclarior extat:
Pulchra nimis, Samarîa viret contermina; Sichar
Urbs caput Imperii, puteiquè à nomine clara.
Ultima, quam Syriis, & quam Phænicibus olim
Vicinam faciebat ager, nunc ſtricta, beatis
Montibus erigitur, nec te Carmele rejecit:
Urbibus eximiis memorabilis ivit in ævum;
Biſſenas charo Salomon hìc ceſſit Hiramo:
Bethſáides, & Cana, Naim, ac Céphira florent;
Alta Capharnâum Princeps: eſt ditibus ampla
Eſdrelônis agris, Jordanequè clarior ipſo,
Balſameâ ſylvâ, lacubus miranda profundis:

Sæpè potens armis provincia, sæpè revicta
Excipit adversos Galilæa volubilis hostes.
Ima supercilio fundata est Nazara, montes
Quam circumcingunt veluti diademate: quondàm
Subdita Metrópoli, sed nunc, en Regia divûm,
Erigit antiquum regionis nomen ad astra.
Hæccè Dei jussu permissa recondere gazam
Immensam, thesaurò Orientis grandius arvum,
Albâ veste tumens, (etiam fuit Alba vocata)
Matronæ speciem referens, in imagine nacta
Majestatis opem, capiti de more coronam
Imposuit, manibus sceptrum. Ceu nata fuisset
Orbis ad imperium, processit: in aere puro
Substitit, extaticas antiqui nominis urbes
Mirata. Hinc, inquit, cunctas Regina per urbes
Acclamabor ego. Quæ me felicior aula?
Aula deos capio. Quæ me magè digna locatur?
Digna locor Máriæ, (magnum hoc, & sufficit altæ,
Quâ procedo, viæ) cujus Conceptio pura,
Pura per immensos, & jure, vocabitur annos.
Ergò duos passus elata, urbs invocor ipso
Teste Deo: reliquæ casu, vel sponte fuerunt,
Ipsaquè non hominum, divinis nutibus armor.
Excepi Mariam. Vosnè excepistis eandem?
Exaudistis epos, quo terra revixit, & axis?
Ostentastis enim simili vos numine Civem?
Præferor (øh!) justè vobis. Super astra levabor,
Donec & astrorum Dominam præ ventre recondam.

Pars,

Pars, ſi deſtituant ſuperas hæc numina cunas,
Angelicis portata humeris hinc indè volabit.
En Máriæ æternas, Si poſſum, conſecro grates:
Gratiâ, ave, quæ plena manes: ades unica mundo,
Puraquè momento concepta, & dotibus ingens.
Quasquè alii multis virtutes ſcilicèt annis
Nequaquàm attigerant, oculi tu perficis ictu.
O' raram Máriæ ſortem! Tot vincula virtus
Expetit, unanimi conjungis ſingula nodo.
Cùm tibi pervênit virtutum copia, centro
Pervênit. Minimæ indulge urbi, quam efficis altam:
Plura aliæ dicent: momentum dicere primum
Mens agitat: quo pura ſimul, concepta fuiſti.
Eccè individuo reſpondent omnia puncto
Munia virtutum: tecùm fateamur oriri
Et ſolem, & lunam, tum ſidera, & omnia; Cœlũ es.
Prima, Fides, virtus. Fidei veriſſima meta
In te radices egit; penetrare Tonantis
Sic ſola excelſi potuiſti arcana, Maria.
Spes tua ſpem cunctam vincit, quia ſperet habendo,
Et jam poſſideat, quicquid ſperatur ab alto.
Inſitus eſt cordi, quippè intenſiſſima amaſti,
Charus amor: tu chara magis præ numinis actis.
Seu mare quis caveæ diduxerit Angelus arctæ,
Floravè funiculo totum concluſerit hortum,
Haud miror; tecùm fecit maiora Creator.
Inter cardineas regnat prudentia dotes:
Quàm docilis, ſolers, & cauta, Maria, fuiſti,

Audis quæ meritò jam prudentiſſima Virgo!
Juſtitiæ vis æqua locum tenet indè ſecundum:
Quàm pia, relligioſa, colens, quàm vera, fidelis,
Grata, & amica Deo, cunctis affabilis, ultrix
Sola mali. Fortiſquè vigor ſtat tertia virtus:
Magnanima, ac patiens, quàm regia fœmina ſplendes.
Ultima, perverſos animi quæ temperat uſus:
Sobria, caſta, pudens, matrona modeſta refulges; 940
Quæ Mater, Virgo es. Tibi ſumma ſcientia riſit;
Omnia noviſti, vitiorum neſcia tantùm.
Mille artes, & mille modos, ſi ſedula canto,
Inveniam, doteſquè tuas ſcrutabor, & ultrà.
Tecùm munificus, largus qui Spiritus ævo
Extitit in primo; ſuperavit flumina numen,
Quæ, quot habent, Tethy ſua propria munera donant.
Septem dona animæ divus ſuperaddidit author
Ingenuæ; clareſcit enim, tot partibus uſa.
Conſilium, Pietas, Mens, Vis, Sapientia, Terror, 950
Diſciplina, tuos direxit ad omnia greſſus.
Guſtâſti ſapiens divina arcana; ſupernas
Ingenioſa vias relevanti intelligis æſtro;
Conſilias meliora animo, nè falſa ſequaris;
Fortitèr evincis, quâ te conſtantia motat:
Scis obſcura aquilex rerum, ſcis abdita mundo:
Emendas hominum errores pietatis amore:
Una timere Deum gaudes, & amare viciſſim.
Eugè diu felix Virgo, maiora per orbem,
Cùm vitalitias, factura, exhauſeris auras:

Ple-

Plena Deo procedis, iò Conceptio pura.
Mecùm Urbes, jubeo, Conceptio, dicite, pura.
More tonantis agunt ſoniturum in ſæcla fragorem
Urbes clamantes: Máriæ Conceptio pura,
Semper iò, quæ labe cares, Conceptio pura.
Lauſquè tibi plures, Virgo, concreſcat in annos
Per mare, per terras; manus Omnipotentis it ultrà.
Semper iò Virgo, per Sæcula iò omnia Virgo.
Iſta loquens roſeo viſa eſt aſcendere curru
Formata è niveis actutùm nubibus, inſtar
Turrigeri ſolii: ante hæc plauſtra, aut mœnia, Cycni
Lactea crinitis penetrabant ſidera pennis;
Urbibus attonitis raptæ ad Naſaræidis augmen.
Hæc ſatis ægroto. Jeſſæâ è ſtirpe renata
Muſa potens, ſatis hæc votis præ pondere caſſis:
Jamquè relaxatis: ſubito reviviſcere pulſu
Macte coegiſti; *tua enim miracula, præſtò*
Scripſi Caſtalidum dictata epiſodia nutu.
Non plus, non. Terquinquè dies in carmine ſumpſi:
Ipſiuſquè tuæ tot ſunt myſteria vitæ.
Quidni? Ego tot forſan devovi carmen ab annis:
Maius enim voto ſuſpendi. Aſt auſpice cælo,
Sabbati epos cœptum vidit lux prima, peractum
Sabbati opus lux alta videt. Precor amodò Muſa,
Te duce, in Empyreo videat lux ultima vatem.

FINIS LIBRI II.

PRO-

PROTESTATIO.

OMnia ſub correctione ſanctæ Matris Eccleſiæ, aliqua licèt metri ergò, ac merâ poetandi licentiâ, nulla prorsùs tamen meâ ſententiâ verba contra Decreta Apoſtolica, ſingula quinimó ad mentem SS. URBANI VIII. proteſtor, ſubjicioquè. In Parochia Oliv-Azemeenſi. Maii XVIII. die B. Mariæ ſacro, anni MDCCXLVIII.

Ego Doctor Emmanuel de Oliveira Ferreira.

FINIS.

Laus Deo, Virginiquè Matri
In primo Conceptionis inſtanti
Sine maculâ originalis peccati
Conceptæ.